



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-124431-p0001-2

DFG



1702.

1. Carocius, Alexander: De teste singulare.
2. Carol, Alexander: Programe, quo... ad Disputationem in any. ... Henrici Charkowii Schaefferi... jns. Facultatis nomine... invitat.
3. Mercorius, Petrus: De prescriptione feudi.
4. Mercorius, Petrus: Programe, quo... ad in any. Disputationem... a Petro Bernardo Plesen pro summis in utroque jure honoribus... consequa. d's... - Sabendam... invitat.
5. Mercorius, Petrus: De rerum permutatione.
6. Magorus, Joh. Fried.: Observatioem virtutis Altissimi Luc. I. 35. ad Fuctum oration. acas. Dr. Georg Dorotheei...
7. Pachenius, Dr. Philipp: De manto regiae.
8. Schack, Johannes: Disputatio Carolina de utilitate praecepsae principum in constituto Imperio Prussiae. Germanicae.

1702

9th-Schach, Schach : Dejneis Raten Paganca

1703.

1. Gedenktag, Henn. Christi: De maiestate laesa.

24^o^z
Gundersen, Henry Christph. 1, propinquorum in sponsa-
litas consensus necessario.

3. Gundersen, Hum. Christofle: De praescriptione que
et nervos crestrum apponatur.

4. Mascorsas, Peters: De politie en de rechtspraak

5. Peltaria, Dr. Philippi: Oc. Conchifolium sp. Genus
nobilis Latis cinctis.

6. Schack, Ichneus: Disputatio Corolina sistens argumenta
quaedam juris publici de Capitulatione Imp. Rom.
Germ. ex suffragiis omnium Imperii Seditionum
anticipanda; et de ejus perpetua forma.

1704.

1. Caroe, Georg Adolph: *De filio-familias debito sine ejusdem obligatione in universum.*
2. Gundersius, Henning Christ.: *De impensis a custode auctor Christiano factis.*
3. Mercarius, Petrus: *Proprietas ordinariae civitatis synapticam precarii hactationem.*
4. Paltheinus, Dr. Iohannes Ph. Cyprian: *De detractione.*
5. Negeleus, August: *De jure principis circa sacra.*

1705

1. Caroe, Georg Adolph: *De his quae, a morte Calvina, juris mortuorum publici sunt.*
2. Caroe, Georg Adolph: *De solutione a tortio facta.*
3. Gundersius, Henning Christ: *De usurio multiorum uora.*
4. Paltheinus, Dr. Pet: *De jure principio dispensandi circa leges praecepue formales. 2dus.*

17057

5. Pechenius, Dr. Phil : De iure principis dispensand.
et ea leges principis penales.

6. Salbart, Christianus : De Utro's refutans.

7. Schaeckius, Johannes : De commandis ex pace
Ryswickensi, in imperium Romanum - Germanicum
redundantibus.

Pri. 31. num. 2. ~~Pr. 31. num. 2.~~
2. D. B. V. 1704/1 13
DISPUTATIO JURIDICA
de
FILIO - FAMILIAS DEBITORE,
SIVE
EJUSDEM OBLIGATIONE IN UNIVERSUM,

Quam

Permissu inclytæ Facultatis Juridicæ
in Auditorio minori,
d. 11. Decembr.

publicè ac solenniter defendant

PRÆSES

L. GEORG. ADOLPH. CAROC,

&

RESPONDENS


PHILIPP. MICH. WESCHIUS,
Berg. Rug.

Anno M DCC IV.

GRYPHISVALDIAE,

Literis DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,
Reg. Acad. Typogr.





Q. D. B. V.
DISQUISITIO JURIDICA
DE
FILIO-FAMILIAS DEBITORE,
SIVE
EJUSDEM OBLIGATIONE IN UNIVERSUM.
CONSPECTUS.

Duplex hic occurrit tractatio. I. NOMINALIS, que explicat voces tituli, & quidem (α) filiusfamilias §. 1. & 2. in cuius fin. adjicatur, filios, quibus de Jure Lubecensi bona assignata sum, in patria potestate manere (β) debitoris, cuius propria significacione assumpta in §. 3. disquisitio de actionibus realibus contra filiumf. competentibus à scopo dissertationis removetur, non tamen plane preteritur ibid. 2. REALIS, que juxta methodum in §. 4. propositam duas continet questiones, quarum PRIMA est, an & quatenus filiusf. obligetur? que questio tractatur I. generaliter, per regulam affirmativam, cum resolutione dubiorum in §. 5. qui declaratur in sequ. §. 6. ubi de Edicto Pratoris de capite minoris, (quo scil. obligatio filiusfamilias civilis, per emancipationem extincta, instauratur) hujusque Edicti usu hodierno agitur. II. Specialiter, eundo per obligationum causas, quarum intuitu obligatio filisf. uti alias in genere, est VEL legalis, & hæc partim propria, qua ille parentibus obstringitur; partim communis e. g. ad prestanda tributa; §. 7. VEL contracta ex facto NON quidem alterius, sive patris contrahentis aut delinquentis, nisi in casibus exceptis in §. 8. (cuius occasione queritur in sequ. §. 9. an filiusf. cui pater bona sua cessit, creditoribus paternis teneatur) sive ephori §. 10. SED proprio, quod vel licetum vel illicitum. LICITUM aut (α) polici. ratio ac votum, quod quatenus filiumf. obliget, non obstante l. 2. §. 1. π. ac Pollicit. late exponitur §. 11. aut (β) convenio, quā initia distinguitur, AN coniraxerit filiusf. iussu patris, de quo §. 12. & 13. ubi in specie de restitutione in integrum filiosf. iussu patris obligato concedenda; AN vero motu proprio. Quo in casu subdividetur, an

A

contra

contractum sit VEL (a) cum ipso patre, cuius filius obligatur quidem
naturae, nec sine effectu, §. 14. non verò civiliter, nisi in casibus
exceptis, §. 15. ubi tamen filiusf. à beneficio restitutionis in integrum
simpliciter non excluditur, per tradita in §. 16. VEL (b) cum fratre
§. 17. VEL (c) cum extraneo; cuius intuitu rursus in §. 18. duo
discernuntur causas. Aut enim filiusf. contraxit de re
non peculiari. Et tunc ille est vel I. major, quem eque ac pa-
tronf. ex suis contractibus e. g. mutui, commodati, depositi, stip-
ulationis, mandati (et si hoc ad procuratram judicialem suscipienda
pertineat) societatis, emptionis, validè obligari demonstratur in cit.
§. 18. qui declaratur per sequ. §. 19. in quo deciditur questio, an
filiusf. rem cum pacto de retrovendendo emere possit? it. §. 20. ubi de
filiof. ad factum aliquod e. g. itionem in militiam se obligant. VEL
II. minor, qui si impubes, ex contractu non aliter, quam pupillus sine
rure contrahens, obligatur, consensu licet patrie accende; §. 21.
si pubes, etiam absque patrie consensu valide contrahit, §. 22. et si
obligatio aliquando vel plane evanescat mediante restituzione in integrum
§. 23. vel inefficax sit, partim propter naturam contractus scil.
mutui d. §. 23. partim propter inopiam filiof. §. 24. ubi occasione
l. pen. C. qui bon. ced. poss. agitur de cessione bonorum futuro-
rum à filiof. facta. Aut contraxit filiusf. de re peculiari,
de quo, pro diversitate peculi, diversimodè statuitur. §. 25. Hinc
sui progressus ad factum filiof. ILLICITUM, sive delictum, quod quate-
reuit illum, si vel iussu patris vel motu proprio, sive in ipsum pa-
trem sive extranem deliquerit, obliget, disquiritur §. 26. Sequitur
SECUNDA tractationis questio, scil. de actione, qua ex obligatione filiof.
jam contracta datur; & quidem I. contra patrem, qui vel
iussu contractum filiof., & tunc competit actio quod iussu, cum actione
mandati nunquam concurrens ex doctrina §. 27. vel non iussit;
Quo in casis adhibetur distinctio, AN obligatio filiof. veniat ex contra-
ctu de re peculiari valide initio, ex quo quatenus pater conveniri possit
demonstratur in §. 28. AN verò aliunde. Et tunc filiusf. vel I. pecu-
lium habet, de qua specie §. 29. ubi ostenditur, quatenus pater ex
peculio adventio regulari e. g. bonis maternis de Jure Lubecensi ac
zommi creditoribus filii solvere debeat. Qui in sequ. §. 30. sub-
junguntur

jungitur quaestio de usi bedierno actionis de peculio, vel 2. non habet peculium. Quo in casu pater conveniri nequit §. 31. scil. invitus (Nam si pater velit, potest defendere filium e. g. delicti capitalis accusatum §. 32.) & regulariter. Datur enim casus excepti, quorum quinque recensentur in cit. §. 32. II. contra ipsum filiumf. qui autem est
exitus è patria potestate; Et tunc habet beneficium competenter, de quo §. 33. aut abduc est in potestate; hec vero non obstat, quod minus contra filiumf. majorum, sive peculium habeat sive non, regulariter agi possit. §. 34.

§. I.



E id, quod jam nobis elaborandum sumimus, Dissertationis argumentum, forte non solum in schola, sed & vita judiciali pariter ac extra-judiciali à sua utilitate satis commendabile, illotis, quod ajunt, manibus aggrediamur, divino auxilio supplici devotissimacq; mente implorato, terminorum explicationem, nec jurium cultori penitus negligendam, paucis premitamus. Ac primò quidem satis manifestum est, quod vox filius-familias ex vocabulo *filius* & *familia* composita sit. Qvemadmodum autem posterius aliquando ad res refertur, aliquando ad personas, qvo ultimo sensu, qvi hujus loci est, societatem minorum inæqualem, in qua unus superior est, alter inferior, denotat. L. 195. §. 1. & 2. π. de V. S. vid. Brisson. de V. S. voc. *Familia*: ita quoque prius, (quod derivandum est vel à græco φίλος, Perott. in Corn. *Copie column.* 1049. n. 60. Speidel. in *Specul. voc.* Söhni vel forte non vana admodum conjecturā à latino *filum*, qvia *filius* à patre tangquam *filum* à suo stipite deducitur) diversimodè accipitur, & quidem vel impropriè, vel propriè. Impropriè (1) pro cive aut subdito: qvalis appellatio occurrit Matth. XVII. 25. 26. ubi Salvator noster subditos Principum filios vocat. eoq; simul indicare voluit, quod reges terræ patres patriæ agere deceat. Vid. Selden. de J. N. & G. juxi. *disciplin. Ebraor.* Lib. 6. cap. 18.

A 2

(2) pro

(2) pro eo, qui alicui addicetus est, hujusque ductu vivit ac regitur. Sic in sacro codice impii filii hominum & diaboli; uti contra pii filii DEI variis in locis, qvorum aliquot notavit Rebhan. in *Hodeg. Jur. pag. 143.* vocantur. (3) Pro singulariter dilecto. Sapientius enim quotidiano sermone illum, qui nobis charus est, aut nostra directione e. g. tutelari subjacet, filium appellamus. Quapropter merum ac simplex pronunciatum, quo quis filius fuit vocatus, ad probationem filiationis verè ac physicè talis parum vel nihil proderit, nisi alia & graviores circumstantiae concurrent. Vid. *Novell. 117. c. 2.* (4) Pro qvovis vel remotissimo descendente; quo sensu Salvator noster filius Abrahami & Davidis appellatur, *Matth. 1. Speidel. in Spec. l. c.* (5) Pro adoptato aut ex facto baptimate suscepito, qui in specie filius spiritualis vulgo dicitur. Et jam olim *filiolagium* & *filiolatio* vocabatur domum illud, quod filio, qui de sacro fonte suscipiebatur, in adoptionis tesseram conferri solebat, notante Hofmann. in *Lexic. univers. Tom. II. voc. filiolus.* Propriè pro eo, qui nobis vitam suam naturalem debet, sive immediate, sive mediata, cum aliquavero nepotes quoq; nomine filiorum veniant, *l. 24. l. 201. π. de V. S. Vid. Barbosa trast. de Verbor. appellat. lit F. app. 99. n. 82. Dd. ad S. 5. J. Qui test. tutor. dar. novissimè Dn. Pagenstecher. de Jur. filior. pag. 5. S. 3. sive sit mas, sive foemina. Justa enim interpretatione, qua sermo de genere masculino ad foemininum porrigitur, *l. 35. π. de Paull. l. 3. S. 1. π. de N. G. l. 1. S. 3. π. de Pecul. l. 1. l. 51. l. 195. π. de V. S. appellatio filiorum filias regulariter complectitur, l. 45. pr. π. de Leg. 2. l. 116. π. de V. S. Vid. Barbosa l. c. n. 48. & segg. Anton. Matth. *Disp. de Oblig. 9. S. 2.* Atque hic proprius filii significatus sub nomine filii-familias continetur, nisi quod is, qui per adoptionem in potestatem redigitur, non sit filius propriè & naturaliter talis. Hinc admonendi sumus, vocabulum filii famil. h. l. sumi in sensu eti generaliōri, quatenus scil. propter cit. ll. filiam. comprehendit, *S. 7. Inst. Qvod cum eo, qui in al. potest. l. 9. S. 2. π. de Scto. Macedon. l. fin. S. 2. π. de V. O.; proprio tamen, quo ille à filio sui juris differt ac distinguitur. Qvemadmodum enim non omnis filius, secundum ea, qvæ modo diximus, est filius propriè sic dictus: ita nec hic semper est filius.* partim**

partim propter defectum iustitiae nupiarum, cum ne quidem ex concubina nati in potestate existant, §. 12. *Inst. de Nups.* Vida Joh. Mercer. L. 2. Opin. c. 8. partim propter conditionem patris; qui, si ipse sit in potestate, suum filium in eadem habere nequit, l. 21. n. ad L. *Jul. de Adul.* partim denique propter jam extinguitam patriam potestatem, quod sit, ut is, qui filius est, minimum quod actum primum pateri esse queat, l. 195. §. 2. n. de V. S.

§. 2.

Est itaque filius-familias, (qui germanicè significanter appellatur ein Hauss-Sohn) uti in Jure Gothicò & Selandico in Jütischen Edw-Buch Lib. 2. c. 65. ibi: Der Hauss-Sohn / so lange mit dem Vater ic.) persona moralis, patriæ potestati subjecta. Hæc vero potestas quid & unde sit, quosnam habeat effectus, quibus modis constituatur vel dissolvatur, ex traditis Dd. ad tit. 6. & 7. lib. 1. n. satis constat. Illud tamen prætereundum non est, quod isti liberi, qui de Jure Lubecensi separati voeantur, in universum jure patrum familiarium non sint censendi, cum separatio nominato jure obtinens non sit vera & propriè sic dicta emancipatio sive expressa, sive tacita, et si cum hac nonnullos effectus communes habeat. Mev. ad J. L. P. II. t. 2. art. 33. n. 113. it. ad d. t. 2. art. 2. n. 12. Idem dicendum est de jure communii quoad cessionem sive divisionem bonorum, vivo adhuc patref. factam, quia nec hæc quia talis, h. e. quamdiu totalis separatio ab economia patris non sequitur, ejusdem potestatem solvit. Merlin. de Legit. L. 1. t. 2. q. 3. n. 18. Dn. Harpprecht. Præceptor quondam noster etatem devenerandus in Disp. de Separat. Liber. ab Oeconom. Patern. ib. 23. præsertim tunc, quando liberis nuda saltem administratio conceditur. Falsum enim est, liberos eo ipso, dum Pater sua bona inter eos partitur vel iisdem cedit, emancipari, uti quidem contra l. 11. Cod. de Donar. existimat Oldradus cens. 26. rectè præterea notatus à Cephalo conf. 495. n. 44, nec non à laudato Dn. Harpprecht. in Disp. 2. de Divisione honorum inter Liberos vivis adhuc Parent. fact. §. 47. p. 79. Necque est, quod objicias, stante hac sententiâ, bona separata, cessa vel divisa, tanquam è patris substantia profecta, ad peculium profectitum referri debere; id vero fieri non posse, cum ista bona, titulo donationis translata,

A 3.

jure

jure dominii ad liberos spectent contra dicti peculi naturam. Nam facile respondebimus ex l. 5. §. 9. & 11. π. de jur. dot. non semper & omni in casu id, quod Pater dedit, esse profectum, sed aliquando adventitium, nempe si circa respectum paternæ pietatis, e. g. ad levandam sibi administrationis curam, datum sit. Quapropter bona, quæ de Jure Lubecensi separata dicuntur, ad peculium adventitium irregulare commode referuntur; siquidem Pater in illis nec usufructus, nec jus administrandi habeat. Mev. ad d. tit. 2. art. 33. n. 121. De jure autem communii bona à patre, cessa peculio adventitio regulari accensenda veniunt, quoniam illi usufructus, cui vel expresti, vel tacite renunciatum non est, competit. Alexand. vol. 1. cons. 48. n. 4. In dubio enim non presumitur pater, bona sua liberis cessisse, ut sibi egestatis periculum acceleret, sed ideo tantum, ut vel discordiam, quæ post mortem Parentum ex familia eradicanda oriri solet, amoliatur, vel se ipsum à molestiæ administrationis tedium liberet, aliquando etiam, ut liberi aliquid agant, e. g. concurrentium creditorum lites excipiant, iisq; judicata solvant, &c. Quæ omnia ne, quæ infra maximè de solutione æris alieni paterni, in casu memoriaræ separationis, cessionis ac divisionis, à filiis facienda notabimus, à scopo & subiecto nostræ tractationis aliena viderentur, hoc loco præmittenda duximus.

§. 3.

Vocabulum debitoris, quod alias in jure nostro æque ac creditoris variè accipitur; Vid. Goedd. ad l. 12. π. de V. S. Dd. ad l. 108. π. d. t. hoc loco denotat illum, qui obligatus est ex jure ad rem, quod vel obligationem naturalem tantum, vel simul actionem personalem aut minimum huic similem implorationem officii judicis sive ad facti sive ad rei præstationem, sive efficaciter sive inefficaciter tendentem parit. Ex quo intelligitur, disquisitionem de actionibus realibus, quatenus ha contra filium intentari possunt, ad dissertationis nostræ objectum propriè non pertinere. Nec judicatu difficile est, quoad dictas actiones reales distinguendum esse, an illæ versentur circa res non peculiares, an vero peculiares. Priori in casu, ipse filius est convenientius, lex 36. §. 1. π. de H. P. junct. leg. 12. §. 1. π. ad Exhibend. dummodo ipse possideat ex gr. hæreditatem tertii. Nam si pater

rem



rem teneat; contra illum actio dirigenda est, ita quidem, ut
et si agatur ad quantitatem e. g. ad premium rei hereditatis ven-
ditae, tamen nulla deductio ejus, quod patri a filio. debetur, lo-
cum habeat. cit. l. 36. pr. ubi ratio redditior a Paulo, quod non
de peculio agatur, sed hereditas petatur. Posteriori in casu,
si res peculiaris, de qua, actione reali, filius. convenitur, non
sit castrensis, patri defensionis necessitas imponitur in l. 18. §. 4.
x. de castr. Pecul. quæ merito restringitur ad illam speciem, qua
res peculii profectio. (Nam adventitium tempore cit. l. 18. raro
exstitit vid. infr. §. 5.) ab extraneo jure dominii vindicatur.
Tunc enim, quia res nomine patris possidetur, aequaliter omnino
est, ut ille filium conventum omnibus modis juvet instruaturque.
Imo jure noviori, quo beneficium nominationis fuit introductum
per l. 2. Cod. Ubi in rem act. nihil obstat videtur, quo minus
filius, de re peculii profectio actione reali pulsatus, dicto beneficio
uti possit. Hoc enim beneficium maxime iis, qui alieno nomine
in possessione sunt, indulsum fuit. Atqui filius peculium profe-
ctum nude detinet, l. 93. π. de R. f. scil. ex titulo precarii, arg.
l. 4. pr. & l. 8. π. de Pecul. Quod vero attinet res peculii adven-
titii, ha quidem pro re nata vel a patre, si ab hoc possideantur,
uti plerumque contingit in pecul. adventitio regulari, vel a filio,
si ipse possideat, peti debent, ita tamen ut posteriori in casu pa-
tri, juxta prescriptum Justiniani in l. f. in f. pr. Cod. De bon. qua
libet. necessitas a judice imponatur, filio fugienti consentire, ne
judicium sine voluntate patris videatur consistere. Vid. infr. §. 28.

§. 4.

Missa terminorum explicatione, progredimur ad tractationem
ipsum, quæ duas continet questiones, quarum prima est, quibus
ex causis & quomodo filius. obligetur? secunda, an & quantum
ex obligatione jam contracta vel contra ipsum filium. vel hujus
patrem actio nascatur?

§. 5.

Ut itaque a prima questione incipiamus, pro regula gene-
rali hic est tenendum, filium familias sive ab initio, sive
ex postfacto, scil. medianie arrogatione talis, ex omnibus
causis

causis tanquam patrem - familias hoc est & civiliter
& naturaliter obligari. Qvæ regula satis est fundata in
textibus cardinalibus ac disertissimis leg. 2. §. 2. in f. n. de
capit. min. leg. 57. n. de Judic. leg. 39. n. de O. & A. leg. 9. Cod.
qvod cum eo, qui in alien. potest. junt. leg. pen. Cod. Qui bon.
ced. poss. ubi beneficium cessionis, qvod creditorem & debitorem
præsupponit, filiosamil. indulgetur, de qvo infra pluribus. Et
sane nulla vel naturalis vel civilis ratio prohibet, qvò minus fi.
lius. qvà talis obligationis capax sit. Non naturalis, qvia prin.
cipia obligationis naturalis intellectus scil. & voluntas adfunt.
Potestas autem contrahendi, qvatenus respicit res, propriè non est
juri naturalis. Dependet enim ex bonorum, qvà filius. ha.
bet, qualitate ac differentia ex instituto humano profecta. Non
civilis, cum filius. tanquam persona libera jus standi in judi.
cio habeat, nec patria potestas, qvà solam familiæ utilitatem
& commodum respicit, efficere queat, qvò minus ille obligatio.
nem isti usilitati hanc noxiā vel contrariam contrahat. Ec
qvanquam obstante videatur effatum Pauli in l. 43. n. de O. & A.
ibi: Obligari potest paterf. sue potestatis: hæc tamen verba, vel id,
qvod sit utplurimum, vel certum efficaciter obligandi modum,
qui nonni in patrem. cadit, scil. contractum mutui respicere opi.
namur cum Ciphan, in lect. Alterph. ad cit. l. 43. Nec porro dicitis
qvoad obligationem dandi officit, qvod filiif. ætate Ulpiani & Caii,
qui supra cit. ll. 57. n. de Judic. & l. 39. n. de O. & A. authores
sunt, præter bona castrœnsia (hæc enim omni tempore ad illos
pleno jure spectasse, ex juvenal. satyr. 16. eruditè probat Galvan.
de Uſſi. cap. 70. §. 8.) nihil proprii habuerint, scilicet ex com.
muniori Dd. sententia, qva origo peculii adventitii, prout hodie
se habet, Imp. Constantino tribuitur. Sanè nemini incognitum
est, inopiam debitoris non obligationis nativitatem, sed tantum.
modo executionem impeditre, qvanquam & huic, pro ratione obli.
gationis, alio modo satisfieri possit, si nimur ille vel penam
corporalem subeat, per vulgatum illud, qui non habet in ore luat
in corpore. Vid. Dn. Hert. de Parcam. Jur. Germ. L. 1. Parcam.
89. VEL creditori in temporariam qvandam servitutem addicatur,
qvod & olim in Imperio Romano moris fuisse appetet ex l. si quis
ninquam

unquam Cod. Theodos. de Annosis civicis & pane gradili: ibi: Si quis
etiam pauperrimus erit, cogetur exhibere operariam servitutem. Vid.
Casp. Baëzii tr. de Debitorum inope creditorovi addicendo. Deinde com-
munis illa sententia, quā libeross. ante Constantimum, præter bona
cal trensia, nihil proprii habuisse assertur, universaliter vera non
est. Praterquam enim, quod dos, eti profectitia, semper extin-
torit in dominio uxoris filia famili. l. 4. n. de collat. l. 1. §. f. n. de
Dot. collat. l. 3. §. 5. n. de minor. l. 14. n. ad L. Falcid. jam ex pla-
cito Claudi effectum est, ut peculium profectitum, bonis pater-
nis à fisco occupatis, ad filium jure proprietatis spectaret, teste
Ulpiano, in l. 3. §. 4. n. de Minor. in f. Vid. Gothofred. ad cit.
§. 4. Et notum quoque est ex l. 50. n. ad SCium Trebell. Hadria-
num Imperatorem constituisse, quod pater institutus ab aliquo &
gravatus hæreditatem filio post mortem restituere, si adhuc vivus
hæreditaria bona dissiparet, à filio statim ad restitutionem compelli
possit, ita quidem, ut hæreditas restituta pleno jure ad filium per-
tineat. Neque enim profectitum est, quod provenit à patre in-
vito & coacto, prout ex l. 5. §. 9. n. de Jur. dot. recte obseruat
Galvanus l. c. p. 57. ubi simul ex l. 16. §. 11. n. ad SCium Trebell.
§. l. 52. n. de A. vel O. H. alias subicit casus, in quibus filius
etiam de Jure n. hæreditatem, non obstante patria potestate, sibi-
met ipsi acquirere potuit. Sed merito dubitatur, utrum hæc
Galvani sententia cit. ll. consentanea sit. Nam quod dicitur in cit.
l. 16. §. 11. filium hæredem fideicommissarium patrem hæredem
fiduciarium cogere posse, ut hæreditatem, quæ patri suspecta vide-
tur, adeat, hoc tantummodo eum habet effectum, ut pater filio
sui juris facto hæreditatem restituat, uti colligitur ex l. sequ. 19. pr.
n. ad SCium Trebell. Quod vero attinet cit. l. 52. n. de A. vel O. H.
certum quidem est, filium furiosi ex benevolentia Divii Pii citra
patris jussum hæreditatem adire posse; Id vero fit non eum in
finem, ut filius sibimet ipsi acquirat, sed ut ipse pater pro eo, qui
adiuit, reputetur, cit. l. 52. Nec dubitandum, quin patri furioso
per filium hæreditas acquiri possit, juxta monitum Marcelli, in
l. 63. n. de A. vel O. H. Magis movet effatum Caii in l. ult. n. de
SCto Trebell. ex qua non obscure appetat, jam illius estate mater-
nam hæreditatem ad filium, eti in patris potestate fuerit, perti-
nuisse.

auisſe. Add. l. 22. n. de Knoff. Test. Hinc bene notat Fr. Balduinus
de LL. Constant. L. 2. p. 263. Constantiū non primum fuisse
legislatorem ejus, qvod proprietas bonorum maternorum filios
magis quam patri acqvireretur, sed saltem rem qvæ obscurius ante
tradita fuerat, in l. 1. Cod. de Bon. Matern. apertius explicuisse,
& plane definivisse. Conf. omnino G. Panciroll. in Thesaur. var.
Test. L. 2. c. 219. Et qvid opus est multis? Concedamus, qvod
filii. primis temporibus, præter bona caſtrenſia vel qvasi nihil
proprii habuerint: Inde tamen non conficitur, illorum obliga-
tionem, dictis bonis deficienſibus, durante patria potestate, ſem-
per fuisse inefficacem. Nam ne filiorum creditoribus plane inanis
eſſet actio, ſufficere poterat peculium profectitum, ad cuius quanti-
tatem uſque patrem conveniri poſſe conſtat ex l. 42. n. de Pe-
cul. l. 12. n. Quæ in fraud. credit. ubi in fin. ſignerant Marcellus:
Etenim filii creditores etiam patris ſunt creditores, cum eius generis
videlicet habeant actionem, ut hiſ de peculio preſtari neceſſe ſit.

S. 6.

Plane jure veteri, quando filius, poſt contractum initum pa-
tria potestate per emancipationem exibat, propter interuenientem
imaginariam qvandam, etiā temporariam, ſervitutem civiles obli-
gationes exiſtēbantur. l. 2. f. 1. 2. n. de Capit. min. Sed cum
hoc nimiam ſubilitatem ſapere videbatur Prætori, hujus æquitas
ac humanitas ſuit excitata, ut peculiare de capite minutis edictum
proponeret, qvō creditoribus filiorum. reſtitutionem in integrum
policebatur, cujus petitio ipsam actionem, per capitis deminu-
tionem ſtričo jure ſublatam, continens eſſet perpetua d. l. 2. f. f.
propterea qvod non ad reſcissionem ſed potius conservationem
actus antea geſti, puta emancipationis, tenderet, fecus ac com-
munis in integrum reſtitutionum natura fert, qvarum inde bene-
ficium breviori quam ipſarummet atiſſarum actionum durationi
præſtituto ſpatio impetrari debet. Evidem an hodie illud Prae-
toris Edictum uſum habeat, non ſatis expeditum eſt inter Dd.
Affirmant hoc nonnulli cum Duaren. in Comment. ad tit. n. de Capit.
min. Sed pleriique negant cum Bachov. Frantz. ad d. t. Willemb.
Diff. ad n. 14. tb. 28. Qvorum ſententia potior videtur. Præter-
qvam enim, qvod uſus ille, ſi forenſem intelligas, in ſe exiguis
videatur

videatur, nec forte alius nisi ratione libelli, in quo mentio resti-
tutionis in integrum fieri debet, jam Imp. Diocletianus & Ma-
ximinianus in l. 9. Cod. Quodcum eo, qui in alien. potest, rescripse-
runt: Sed eti per emancipationem tui juris effellus es, similiter te
conveniri posse debes intelligere. Qvanquam vero dici posset, ad-
huc hodie emancipationem esse capitis deminutio, per s. 3. f.
de Capit. demin. ibique Dd. modus tamen emancipandi diversus est,
nec talis, qui, prout olim, filium servum efficiat, ex quo po-
tissimum restitutionis in integrum necessitas dependebat. Nam
si capitis deminutio qua talis h.e. quatenus est status prioris mu-
tatio, actiones perimeret, sequeretur, quod & in casu factae arro-
gationis nominato edicto opus fuisset. Id vero merito in du-
biu vocatur, cum arrogati pater jure veteri tanquam successor
universalis; l. 45. n. de Adopt. noviori autem, ut legitimus ad-
ministrator & usufructarius, creditoribus arrogati respondere;
S. f. Inst. de Acquisit. per arrogat. Dn. Sv vendendörf. ad Ekb. tit.
de Capit. min. vel etiam: si arrogatus nulla bona in arrogatorem
transfulerit, sed postea ab hoc peculium profectum accepit:
quoad contractus ante arrogationem initos, actionem de peculio
pati teneatur l. 42. n. de Pecul. Jam si actio de peculio locum ha-
bet, consequens omnino est, & filium conveniri posse, quia dicta
actio minus principalis s. adjectitia qualitate aucta actionem prin-
cipalem contra filium competentem presupponit. Accedit ele-
gans ratiocinium Imp. Constantini in l. 13. s. 1. Cod. de Sentent.
pass. ubi Imperator: ita tamen, ut gesta per filium, cuius consilia
legitima eas firmaverai, rata sint eadem in patriam potestatem redi-
sente, ne eorum rescissio efficiat (quod est maxime absurdum) eadem
tempore nec in pariis, nec sua quenquam fuisse potestate.

S.?

Cum itaque secundum ea, quæ hac tenus diximus, filius
et que ac pater, obligetur & beneficio prætoris obligatus maneat,
nunnc, ut de modo constet, in fontes, è quibus obligatio na-
scitur, specialius inquirendum erit. Quemadmodum autem illa
ratione causæ efficientis in genere, ita hic quod duplex est; Una
legalis ex immediata legis dispositione descendens, altera adven-
tiva, sive facto quodam contrahitur. Et quidem obligatio filii,

B 2

legalis

legalis est vel communis vel propria. Prior, qvam ille com-
munem habet partim cum filio sui juris scil. ad reverentiam matri
pariter ac patri exhibendam, l. 4. n. de curat. furios. l. 4. Cod. de
Pair. Potestat. Vid. Dn. Stryk. Disp. de Jur. reverent. membr. 1.
n. 1. & seqq. it. alimenta parentibus suppeditanda, l. 5. pr. §
§. 12. n. de Agnosc. & alend. liber. l. 8. §. 5. Cod. de Bon. que
liber. Vid. B. Dn. Fritsch. de Peccat. Filior. concl. 9. nec non legiti-
raam iisdem titulo institutionis relinqvendam, Novell. 115. partim
cum qvovis patref. e. g. ad exhibendum l. 12. §. 1. n. ad Ex-
hibend. & ad præstanta tributa: qvorum qvidem intuitu distin-
gendum inter personalia, qvæ patrem, tanquam caput familiae
solvere quotidiana experientia confirmat; & realia, de qvibus pro
diversitate peculiorum diversimodè statuendum est. Nam qvando
peculium est profectitum, et si à filio, qvi in illius possessione est,
collectæ rectè exigantur, qvia fiscus in harum exactione semper
seqvitur possessorum, l. 7. pr. n. de Public. & vestigial. l. 2. Cod.
de Annon. & tribut. potest tamen filius, id qvod publicarum pen-
sationum nomine solvit, vel sorti imputare, vel mediante reten-
tione à patre recuperare; Qvæ omnia adhuc hodie ad casum, qvō
paterf. solam bonorum administrationem filio concessit, commode
applicantur. Si vero peculium filiif. sit castrense vel adventi-
tium irregulare, filius, qvi dictorum peculiorum & proprietatem
& usufructum habet, sine ulla deductione vel repetitione tributa
inferre tenetur; uti contra, de peculio adventitio regulari, pater:
cum hic legalem illius usufructum habeat; qvod pluribus exequitur
Lauterbach. in disp. de Usfr. patern. 10. 32. qvem vide. Unde
& de Jure Lubencensi nomine bonorum assignatorum non pater
sed ipse filius collectas solvit. Mev. ad J. L. P. 2. 1. 3. art. 2. n. 63.
Illud qvidem qvaritur ap. Dd. an filiif. si horum patres à col-
lectis immunes sint, eadem immunitate gaudeant? Qvod per
l. 6. Cod. de Professor. & Medic. affirmant Paschal. de Vir. Pair.
Pot. Part. 4. c. 2. n. 3. Gvid. Pap. Decis. 389. Dissent. Aegid.
Thomat. de Collect. fol. 144. n. 11. add. Balmaëseda de Collect.
Ques. 42. n. 18. ubi ait, se nunquam in praxi vidisse & audivisse,
filios Professorum à collectis immunes esse.

z. 11. 11

Posterior obligatio filiif. legalis, propria scilicet, est qvæ
ille,

ille, ut talis, soli patri obstringitur, puta ad obsequium, strictè
loquendò, & quatenus hoc imperio paterno respondet. Vid. Dn.
Thomas. *Jurispr. divin.* L. 3 c. 4. §. 46. seqq. Et hoc quoque
pertinet nobilis illa controversia, an filius. ex obligatione quodam
legali operas industriaes, sive communes, sive mechanicas patri
præstare teneatur? Cujus affirmativam per multas rationes una
cum resolutione contrariorum deducit Dn. Harpprecht. in *disp.*
de Operis liberorum, quas liberi suis parentibus debent ac præstare
ib. 1o. & ib. 24. Nec hactenus apparuit, cur nobis, iure com-
muni inspecto, à laudati Dn. Harppr. sententia discedendum sit.
Alia est quæstio, an liberisfamilias, qui patri operas præstiterunt,
harum nomine ab illo, vel etiam, patre mortuo, à fratribus sala-
rium sive mercedem & quidem hodie (Nam de Jure Romano res
dubio caret propter l. 3. *Cod. de injus. voc.*) exigere possint? quam
ex stricta juri ratione negativè decidit Dn. Harpprecht. in *disp.*
de Salario pro operis liberorum præstanto cap. 3.

§. 8.

Ut filius. ex facto quodam debitor existat, requiritur, ut
illud sit (1) in se & sua natura obligatorium, non vero nudum,
cujusmodi est latus alez, l. f. *Cod. de Aleator.* Vid. Selden. *de Jur.*
nat. & gent. *juxta discipl. Ebraor.* L. 6. c. 11. commendatio l. 12.
§. 12. π. Mandat. l. f. *Cod. quod cum ea, qui in alien. potest, con-*
silium, §. 6. Inst. *Mandat. Simplex assertio,* Grot. *de J. B. & P.*
L. 2. c. 11. §. 2. Vid. l. ult. π. Qui test. fac. poss. l. 19. §. 2.
§. 3. π. de Adit. Edict. ubi dictum à promissio eleganter discerni-
tur. (2) Proprium, per regulam generalem l. unic. *Cod. Ut null.*
ex vican. XI. 6. quæ adeo h. l. vera est, ut ne quidem ex facto
patris sui filius. obligetur, l. 5. §. 16. π. *de Agnos. & alend. liber.*
l. f. *Cod. de Primitil.* l. 12. C. de N. G. Hinc, si pater. solus
hæreditatem, filio delatam, adierit, hic creditoribus hæreditariis
respondere non tenetur, l. f. pr. & §. f. *Cod. de Bon.* quæ
liber. Mev. P. 3. D. 17. Multò minus ex delicto patris filius
tenetur l. 2. §. 7. π. *de Decur.* Sed huic potius, uti jam
supra dictum, bonis paternis confiscatis peculium protectum
conservatur & jure proprietas addicitur, l. 2. §. 4. in f. π.
de Minor. Vid. Dn. Coccej. *disp. de Socio Crimin.* ib. 54. seqg.

B 3

ubi

ubi respondet ad dubia; quæ ex nonnullis S. S. locis & l. s.
C. ad leg. Jul. Maj. moveri solent. Debent autem dicta accipi de
eo, quod regulariter obtinetur. Aliquando enim filius creditoribus
sui patris, et si hujus heres non sit, satisfacere debet, & quide-
m (1) si pater sit debitor ex causa administrationis primipilaris
h. e. ut plerique existimant, annonariæ, cit. l. f. Cod. de Pri-
mipil. Vid. Mev. cons. 62. n. 13. (2) si pater, id quod ipsi cre-
ditum est, in utilitatem filii verterit, dummodo id quod versum
est, ad alimentationis onus non pertineat. Cum enim pater filiis
alimenta gratis & sine ulla repetitione præstare teneatur l. 11. Cod.
de Neg. Gest. dici nequit, quod ex persona patris ejusdem cre-
ditors, quorum pecunia in filiorum alimenta conversa est, ho-
rum nomine contra illos quandam actionem habeant, frustra dis-
sentientes cum alleg. Dd. Berlich. P. 2. Dec. 248. n. 2. Equitatis
tamen & virtutis omnino est, ut filius locuples & alienum patris
præsertim modicum, quod hic ad filium alendum, augendum, or-
nandumque contraxit, sponte & solo pietatis sensu solvat. Loccen.
Synop. Jur. Sved. Exercit. Extraord. 2. quest. 7. (3) si filius pro
suo patre vel sponte vel necessitate juris, scil. patre incarcерato
Novell. 115. c. 3. §. 8. fidejussit, l. 10. §. 2. n. & l. 8. Cod.
de Fidejuss. Vid. Hering. de Fidejuss. c. 7. n. 328. seqq. Deniq;
si pater de fructibus peculii adventitii regularis ex gr. mediante
locatione contraxerit, nihil ambigitur, quin filius contractum pa-
tris, qui de usufructu dicti peculii liberè disponere potest, B.
Dn. Frommann. disp. de Administr. Advent. legit. th. 7. i. ser-
vare teneatur.

J. 9.

Major incidit dubitatio, an tunc, quando pater universa sua
bona filio-famil. cessit vel tradidit, hic illius creditoribus obliga-
tus sit? Quæ queritur, cum secundum ea, quæ supra §. 2.
diximus, filius, per dictam traditionem talis esse non definit, ad
scopum dissertationis nostra omnino pertinet, adeoque h. l. deci-
deuda venit. Exstat autem hanc in rem valde notabilis decisio
ap. Mev. P. 6. D. 319. ubi distinguit vir summus, an per ces-
sionem bonorum vivo adhuc patre factam nuda saltem admini-
stratio, an vero simul dominium ex titulo donationis in filium
transie-

transfierit. Nam aliquando & liberi adhuc in potestate possiti non obstante l. 17. Cod. de Donat. per cessionem bonorum paternorum domini efficiuntur e. g. si illa ex causa donationis remuneratorum instituitur. Vid. Dn. Harpprecht. disp. de Divisione bonorum vivis adhuc parentibus facta ib. 51. seqq. Primo itaque in casu filius, ut de suo solvat, cogi nequit, arg. l. f. n. de Inst. ad. De bonis autem paternis tunc demum recte fit solutio, si filius administratur vel mandatum cum libera, ut hodie quidem loquimur, habeat, l. 59. n. de Procur. vel a judice solvere iussus sit. Escobar de Ratioc. Administr. c. 23. Hoc quoque certum est, arg. l. 9. §. 8. n. de Pecul. quod ipse pater ex suis bonis, quae filius administrat, etiam hoc invito eam sumimam, quam creditoribus debet, deducere valeat, quamvis filio simul constitutus sit ususfructus. Hic enim, si omnia bona complectatur, non intelligitur nisi deducto arte alieno, l. ult. n. de Uso & Usufr. legat. junct. l. 72. n. de Jur. dos. ita quidem, ut id, quod propriarius suis creditoribus debet scil. ante constitutionem ususfructus omnium bonorum, sub eodem non contineatur, & per consequens ususfructario per rei vindicationem adimi possit. Secundo in casu, (qui in dubio non presumitur, Vid. Mev. P. 6. D. 320. & P. 7. D. 285. late Dn. Harppr. in cit. disp. ib. 27. & multis seqq.) ad dictum supra laudata Decis. 319. referit, an donatio, vi cuius bona paterna in filium, jure proprietatis transcripta sunt, fuerit simplex, an vero cum pacto de solvendo creditoribus conjuncta. Si prius, tunc filium creditoribus, quando in horum fraudem donatio processit, teneri, deciditur a Mev. l. 9. n. 4. id quod tamen ulteriore declarationem exigere videtur. Ac primò quidem discrimen faciendum est inter creditores, qui post cessionem, & qui ante hanc existiterunt. Illi quod ne quidem actionem Paulianam contra filium habeant, nullum est dubium. Qui enim creditores sunt post alienationem, hac se fraudatos esse, fraudulentem & importunè queruntur. Hi filium, tanquam successorem singularem, actione quidem personali convenire nequeunt, (uti in genere quoad donatarios omnium bonorum juris est, l. 15. Cod. de Donat.) bene tamen actione Pauliana, per textum hanc

hanc in rem expressum l. 17. §. 1. n. Quæ in frandi credit. in qua illud singulare est, qvod consilium fraudandi in donatione omnium bonorum maxime paterna ne quidem necesse sit probare, sed à lege presumatur. Ita enim Julianus, incit. §. 1. Lucius Titius, cum haberet creditoris liberis suis, bisdemque filiis naturalibus universæ res suas tradidit? Respondit: Quamvis non proponantur, consilium fraudandi non habuisse, tamen, qui credidores habere se scit, & universa sua bona alienavit, intelligendum est, fraudandorum creditorum consilium habuisse, ideoque eti filii ejus ignoraverunt, hanc mentem patris sui fuisse, hac actione tenentur. Vid. Brunn. & ab hoc alleg. Dd. ad cit. l. 17. Et hinc qvoque de jure Lubecensi in casu separationis liberorum, credidores, in qvorum præjudicium illa contigit, bona assignata revocare possunt. Mev. ad J. L. P. 2. t. 2. art. 33. n. 80. 81. 82. § n. 195. Imò non dubitamus, qvin, cum alienatio omnium bonorum non intelligatur nisi deducto ære alieno, l. 72. n. de sur. dot. pater de bonis in filios collatis, eti horum donatio firma esset ac valida, id qvod creditoribus debet, rectè detrahatur. Cui si forte filius se opponat, pater soluta patria potestate, vel etiam hac stante saltem moribus hodiernis (qvibus patrem contra filium. agere posse asseritur infr. § 15. inf.) vindicationem summa deducendæ habebit. Si posterius, puta, si pater filiof. bona donaverit cum pacto de creditoribus paternis solvendo, ratione juris Romani inspecta, credidores ex illo pacto, qvod inter patrem donatorem & filium donatarium universalem de debitis paternis solvendis intercessit, nullam actionem, nisi hanc pater cesserit, habent, l. 22. Cod. de Donat. sed potest saltem donarius à donatore pro diversitate casuum vel actione ex stipulatu vel præscriptis verbis cogi, ut placito satisfaciat, l. 9. Cod. d. t. Quæ omnia an in praxi, ex isto pervagatori præsupposito, hodie per alterum obligationem & actionem queri posse, aliter sele contra expressos textus in d. l. 22. & d. l. 9. C. de Donat. habere existimandum sit, eorum, qvi in negotiis forensibus versantur, iudicio merito relinqimus.

§. 10.

Cœterum qvod attinet filiis Ephorum, facilè apparet, qvod, uti in genere discipulus ex contractu sui ephori non obligatur, nisi jussus

iusus vel versio in rem probetur, ita nec qvoad filiumq; qui ephorum
habet, aliud sentiendum sic. Hinc si ephorus mandato patris-
famil. mutuam pecuniam acceperit, hanc vero in proprios usus
converterit, filiusf. conveniri nequit, et si pater, ex nonnullorum
sententia, pecuniam reddere teneatur, propterea qvod dolus ephori
in re mandata magis patri præponenti, quam creditori bona fide
cum illo contrahenti nocere debeat , arg. l. 11. §. 4. π. de In-
fusor. act. l. 5. pr. π. de Tribut. act. Lauterbach. in Coll. Theor. pr.
ad π. tit. de Scto Macedonian. §. 2. n. 8. Frommann. diss. de Scto
Macedon. tb. 51.

§. 11.

Hactenus de obligatione filiifam. ex facto alterius. Factum
filii-familias obligatorium proprium est vel illicitum seu deli-
ctum, de quo infra, vel licitum; hoc verò aut pollicitatio au-
conventio. Illa privatis facta qva talis h. e. per acceptationem
in pactum non transformata, cum saltē naturaliter obliget de
jure hodierno pariter ac Romano, prout contra Cyprianum Reg-
neri rectè adstruxit Struv. in Decis. Sabbath. Dec. I. sane nec qvoad
filiumf. alium effectum habere potest. De voto filiifamili. pecu-
liaris occurrit textus in l. 2. §. 1. π. de Pollicitat. ubi ita Ulpianus;
*Voto autem patresfamiliarum obligantur, sui juris. Filius enim
familias vel servus sine patris dominive auctoritate non obligatur.* Hinc
qvoq;ve Servius ad illud Virgilii: *ipse pater voveo famulam:* Bene
inqvit, pater, qvia vovendi potestatem nonnisi patres habent.
Qvanquam autem Dd. in ratione cit. §. 1. assignanda valde sint
solliciti, Vid. Connan. in Comment. jur. civil. L. 5. c. 5. Hilliger
in Donell. encl. L. 12. cap. 25. lit. B. ibique cit. Dd. optimè ta-
men facere videntur ii, qui ibidem nihil singulare haberi contendunt,
verba Ulpiani de voto *reali* (ceu de quo in præced. pr. ser-
mo fuit,) & quidem tali, qvod de peculio profectio factum est,
accipientes. Nam peculium adventitium, prout de jure God. sese
habet, tempore Ulpiani raro exstitit, & circa castrense patris con-
fensus, qui tamen in cit. §. 1. d. l. 2. reqviritur, nihil opera-
tur. Multò minus dici potest, qvod filiust. qvà talis vovere
prohibeatur, sive ejusdem inopiam respicias, (qvia hæc, uti jam
supra §. V. diximus, obligationis nativitatem non impedit) sive

C conditio-

conditionem. Si enim præcise reqviretur, ut vovens esset
pater, se queretur contra mentem Ulpiani d. l. 2. §. 1. qvod nec
cum consensu patris votum filii familiæ valeret, cum ille in hunc,
manente patria potestate, jura patris transferre nequeat. l. 25.
§. 1. π. de mort. cons. donat. Qvæ cum ita sint, merito inferim
mus cum Excell. Dn. Mascovio Patrono ac Præceptore nostro
& olim & nunc summè devenerando in disp. de Polnic. Et vot. Sct.
a. §. 1. qvod votum filii familiæ, uti de peculio profectio nec non
adventio regulati factum, ex ratione communi, qvæ utriusque
dicti peculii alienationem consensu patris deficiente prohibet, non
subsistit, ita è contra pro valido sit reputandum, si castrense vel ad
ventitium irregulare peculium concernat. Dissentit qvidem, qvæ
posterioris peculium, novissimè B. Textor. in disp. de Obligat. ex
voto ib. 34. sed ex isto præsupposito, voventem & qvæ ac testato
rem patrem esse debere, id qvod verum non esse, modò in præ
cedentibus dictum est. Unde simul meritò statuimus, reale votum
filiis. et si nullum plane peculium habeat, tamen esse obligatorium,
hoc qvidem effectu, ut, & qvæ ac in casu initæ conventionis, exe
cutio differenda sit, donec ille proprii qvid conseqvatur. Vid. insr.
§. 24. Et votum filii familiæ personale validum pronunciat cum
communi Dd. Schola ipse Dn. Textor l. c. tb. 36. Rectè qvidem,
dummodo illud non contineat factum aliquod potestati patris &
disciplina domesticæ contrarium; cujusmodi tamen factum non
est ingressus monasterii. Hunc itaq; si voverit filius, pater pro
hibere nequit, qvo minus ille monachus fiat. l. 55. l. 56. §. 1.
Cod. de Episcop. & Cleric. Novell. 123. c. 41. Nec audiendus est
Cujasius, qvi in *Paratitl.* ad tit. *Cod. de Emancip.* liber. assertit, in
tegram esse patri vindicationem filii, qvi in consulto patre se devoxit
monasterio. Qvod assertum enī aperte contrariatur, qvāq; vam
has ex antiqua qvadam superstitione, qvā vita monastica filiali
subjectioni præfertur, latas esse existimet Ziegler. ad *Lancell.* §.
J. C. Lib. 1. t. 30. §. 3. pag. 276. ubi simul addit, piè admō
dum per Concilium Gangrense can. 16. anathematis fulmine filium
percussum esse, qvi prætextu religionis patrem deserit. Plane, si
filius, qvi ad ingressum monasterii se obligavit, impubes tuerit,
pater id factum intra annum irritare potest, ex dispositione cap. 2.
X. de

X. de Regul. qvo intuitu supra memoratum Cujacii assertum admittit
potest. Imo iure divino forensi facilius vota liberorum à pa-
tribus impugnabantur. Num. XXX. vers. 4. sgg. vid. Grot. ad
ess. vers. 4. Atque, hæc de pollicitatione filiosfamil. publicè pari-
ter ac privatim facta dixisse, sufficiat.

§. 12.

Si vero filiusf. conventionem inierit, summa ac prin-
cipalis distinctio est, an id jussu patris, an vero motu proprio
contigerit. Priori in specie, filiusf. omnino obligatur, l. 3.
§. 4. π. de Minor. l. 20. §. 1. π. famil. Ercisc. ita quidem, ut si
in propriam utilitatem contraxerit, de suo solvere debeat, qvò fa-
cit l. 2. Cod. Qvod cum eo, qui in alien. pot. ex qva intelligi-
mus, ejus rei nomine, de qva cum filiosfamil. ex voluntate ejus,
in cuius potestate fuit, contractum est, si ille paterna hæreditate
abstineat, actionem in id, qvod facere potest, dari. Contra si
filiusf. jussu patris ut administrator vel procurator contraxerit, tene-
tur saltem ad id, ut creditori à patre satisfieri procuret, qvod
aperte colligitur partim ex cit. l. 20. §. 1. π. famil. Ercisc. ubi
dicitur: *Si filiusf. jussu patris obligatus sit, debebit hoc debitum ex*
hæreditate paterna præcipere. (scil. tanquam debitum patris, qvia
hoc saltem præcipitur sive à paterna hæreditate deducitur) partim
ex l. 4. Cod. Qvod cum eo, qui in al. Qvæ lex de filiof. qui in
patris commodum pecuniam mutuò accepit, omnino intelligenda
est, propterea qvod is, cui jussu patris in propriam utilitatem pe-
cunia numerata est, ex propria qvoqve persona, & per consequens,
etiam si patris hæres factus non sit, obligetur, l. 4. Cod. de SCo
Macedon. Qibus omnibus accedit, qvod in genere qvilibet pro-
curator, ex contractu nomine domini inito, eatenstantum con-
veniri possit, ut solutionem cureret præstetqve ex bonis domini,
arg. l. 20. π. de Inst. Act. l. 34. vers. verisimile π. de N. G. l. 45.
§. 1. π. de Admin. Tutor. Lauterb. ad i. de Inst. act. §. 14. Dn. Schilt.
Ex. ad. π. 27. §. 41. Diss. Bachova de Action. Disput. 3. §. 11.
p. 122. sgg. Unde conditio filiif. qvæ sui patris procurator est,
durior vel deterior esse nequit, uti nec melior; adeò ut filiosfam.
qui jussu patris in hujus utilitatem contraxit, principaliter, etiam

C2

mortuo



mortuo patre, obligetur iis in casibus in quibus quilibet mandatarius ex negotio nomine domini celebrato, finito licet officio, principaliter tenetur, sive cogi potest ut de suo solvatur. Qvos casus recenset Lauterbach. l. c. & novissimè Dn. Hertius in *disp. de Oblig. at. mandanis & mandatarii respecta tertii* (qua exstat in *Opuscul. Hertian.* Tom. III, p. 155.) ib. 20. Nec minus in dubio, an filiusf. à patre contrahere jussus, pro principaliter obligato haberi debeat? rectè applicantur ea, qvæ tunc juris sunt, si in genere in causa contractus cum mandatario initi dubitetur, an hujus, an verò domini seu mandantis persona electa sit? Putat autem Bruninemann. ad l. 13. Cod. Si cert. pes. n. 8. ad conjecturas maximè configiendum esse, ut proinde res generali regula definiri non possit, sed pro diversitate casuum, judicis arbitrii, diversimode statuendum sit.

§. 156

Ex dictis facile perspicitur, an & quando filiusf. qvi jussu patris obligatus est, beneficium restitutionis in integrum impetrare possit? Eadem enim distinctione, qva in §. præced. usi sumus, heic opus est, scil. an ille ut nudus procurator patris contraxerit, & tunc beneficium restitutionis in integrum cessat, l. 23. π. de Minor. an verò in propriam utilitatem. Qvo casu dictum beneficium datur, l. 3. §. 4. in vers. Proinde si jussu patris obligatus sit π. de Minor. ubi tamen excipitur mutui datio; In hac enim, inquit Ulpianus, si filius jussu patris pecuniam accepit, non adjuvatur. Cujus ratio manifesta est ex eo, qvod filiusf. qvi jussu patris pecuniam revera accepit, nullam regulariter allegare possit lassionem à creditore profectam Struv. ad ut. π. de Minor. ib. 60. in verb. Cur autem restitutio non detur. Eqvidem Bachov. ad 7a προστα p. 1096. aliam reddit rationem, scil. qvod filiusf. tutus sit exceptione SCti Macedon. Sed hæc ratio, qvæ etiam est Donelli L. 21. cap. 7. merito rejicitur à Struv. l. c. qvoniā filiosfamilias, qvi jussu patris pecuniam mntuatus est, dicta exceptio non datur, l. 7. §. 11. π. de SCto Maced. l. 4. Cod. Eod.

§. 14.

Posteriori in specie, qva filiusf. motu proprio pactus est (vid. §. 12. in pr.) refert, an illud (1) cum ipso patref. aut (2) cum

cum fratre communem patrem habente, vel denique (3) cum extraneo factum esse appareat. Qui tres casus sigillatim considerandi erunt. Si itaque filius cum suo patre, contraxerit, illum huic naturaliter obligatum esse, constat ex l. 38. §. 1. π. de Cen-
dies. Indeb. Nam cum facta illa unitas, quæ ex legislatione civili inter patrem & filium obligationem nasci vetat, jure naturali igno-
retur, sane hoc non prohibet, quod minus pater cum filio, validè
contrahat. Nec movet l. f. C. de Impuber. & al. substitut in qua
dicitur, quod natura pater & filius eadem esse persona intelligan-
tur. Hic enim vox *natura* denotat non jus naturale, sed condi-
tionem rei physicam, cuius intuitu filius, qui à patre genera-
tur, cum hoc physicè non verò moraliter (uti de Jure civili) idem
pene est, sive sit sui juris, sive in potestate patris positus. Ceterum
obligatio naturalis, quæ inter patrem & filium fam. consistere
potest, ita est comparata, ut facta emancipatione nec mutetur in
civilem, nec plane desinat vel extingvatur d. l. 38. §. 1. Dico (1)
non mutatur, propterea quod emancipatio plerumque & maxima ex
parte procedat in commodum filii, & sic in ejusdem odium vel
onus detorveri non debeat. Nec dubitandum, quin contra fi-
lium, sui quondam patris, debitorem, heredes paterni experiri
nequeant. Conditio enim abligationis ex persona heredum non
mutatur. l. 2. §. 2. π. de V.O. quod tamen non obstante filius fra-
tribus cohæredibus id, quod ex contractu suo cum patre, e. g. mutui
debet, conferre tenebitur. Dico (2) non desinit, quoniam civilis ratio
naturalia jura corrumpere nequit l. 2. π. de Capit. minut. Cui con-
sequens est, filium id quod patri vi contractus, durante patria po-
testate initi, post emancipationem vel mortem patris solvit, propter
existentem tempore solutionis obligationem naturalem frustra re-
petere, dummodo debitum filii in peculio, post emancipationem
eisdem adempto non existenter, adeoque pater illud nondum con-
secutus sit. d. l. 38. §. 1. Aliás enim subsequens solutio, quæ
omni omnino obligatione exstincta ex errore facta contigit, con-
ditionem indebiti parit, cum sit contra juris formam, idem bis
petere vel accipere.

§. 15.

Quod verò attinet *civilem* & cum facultate agendi conjunctam

C 3

obliga-

obligationem, hac filius. patris non tenetur l. 4. n. de jud. l. 2.
n. de Contrah. Empt. & V. nisi super peculio castrensi vel quacum
contractum sit. cit. l. 2. Utrumque, & regula & exceptio suam
habet rationem. Regula enim fundamentam collocatur in iam
supra nominata unitate morali, qva filius & pater. qvoad ne-
gotia domestica una eademque persona censentur l. f. Cod. de Im-
pnb. & ab Subst. qvò fit, ut, cum nemo se ipsum convenire pos-
sit, l. 16. n. de Furt. nec pater contra suum filiumf. obligationem
civilem, indeqve descendantem actionem sibi acqvirat. Vid. Vul-
tej. de Judic. L. 1. c. 5. Exceptionis ratio dependet ex eo, qvod
filius. in solo peculio castrensi jure patris familias gaudeat l. 2. ff.
de SCto Macedon. l. 6. §. f. n. de Injust. rupt. irrit. fact. test. Ex
qvo inferunt Gedd. de Contrab. & committ. stipul. c. 7. n. 84. seqq.
Ludvvell. ad §. 6. Injust. de iniutil. stipul. & alii, contractum, in causa
peculii adventiti, irregularis licet, inter patrem & filium initum
civiliter non obligare, qvia, ut dictum, nullibi disponitur, qvod
filius. in nominato peculio jure Patrifamilias censendus sit. Et
cum hæc ratio omnes objectiones, qvas dissentientes in contra-
rium afferunt, vincat, nec idoneè impugnari possit, laudati Gedd.
hujusqve sequacium sententiam, juris veritate inspecta, meritò de-
fendimus, utiliter assumptis iis, qvæ ad dissentientium rationes sus-
ficienter reponi vulgo solent. Neque est, ut qvis, noviter forte,
objiciat, patremf. filios, pacto vel expresso vel tacito, usufructum
bonorum adventitiorum remittere posse. l. 6. §. 2. C. de Bon.
que lib. vid. Dn. Frommann. disp. de Administrat advent. legit. lib. 88.
Hoc enim padum tale est, qvod sine effectu actionis vim suam
habere potest, si nimurum pater filium, qui peculium adventitium
possidet, eodem frui patiatuer. Illud tamen nosmetipsi conce-
dimus, qvod conventio, qva filius. bona adventitia patri mortis
causa donavit, & ab initio valida, & ex postfacto efficax sit, ita
ut pater post mortem filii, id, qvod ab hoc mortis causa donatum
est, recte petat, qvandeqvidem donationis eventus in illud tem-
pus, qvo pater & filius desinunt, excurrat. Alexander Vol. 1.
conf. 196. n. 2. Fachinæus L. 2. contrav. c. 26. Berlich. P. 3. concl.
1. n. 31. Dissentit. Paris. vol. 3. Conf. 97. n. 11. Clarus L. 4. Sen-
tent. §. donat. qvæsi. 6. n. 7. Enenkel. de Privileg. Par. Privileg. 16.
c. 2. n. 15.

c. 2. n. 15. vers. Ego tamen. Qvorum opinio nititur isto präsup-
posito, filium ne quidein de bonis adventii sine patris consensu,
qui in rem propriam inutiliter interponitur, mortis causa donare
posse. Sed hoc rectius negatur à Berlich. l. c. n. 21. Lauterb.
in disp. de mort. caus. donat. th. 21. Pro qvibus etiam facit. Spec.
Svevic. c. 262. ibi: Und hat der Sohn ander Guth gewonnen/
denn das ihm sein Vater gab / und giebt ihm GODE Geschäft.
Er giebt das Guth mit gefunden Leib oder am Tode. Wett / wenn
er will. Imò sunt nonnulli, qui moribus hodiernis indistincte cip.
l. 4. n. de Judic. cessare; & per conseqvens patrem contra filium.
& vicissim filium. contra patrem agere posse affirmant Vultej. de
Judic. l. c. n. 21. Brunn. ad cit. l. 4. n. de Judic. Dn. Thomasius
in disp. de Iusu juris patern. secundum mores german cap. 2. §. 5.
Qvorum testimonio si credamus, frustra hodie disputatur, an con-
tractus, in causa peculii adventii vel extra hujus respectum ini-
tus inter patrem & filium, vel hunc vel illum civiliter obliget?

S. 16.

Evidem, si filius, contra quem pater actionem habet ex
contractu, sit minor, curator ex officio constituendus est, qvia
minor absqve curatore legitimam in judicio standi personam non
habet. l. 2. Cod. Qui legi person. stand. Illud verò heic queri-
tur, an filius famili. qui in contractu cum patre suo inito Iesus est,
beneficio restitutionis in integrum uti possit. Nam
vetus fuit controversia, an & qvatenus liberis contra parentes re-
stitutio in integrum concedenda sit, teste ipsomet Imp. Justiniano,
in l. 2. Cod. Qui & adversus quos restit. in integr. qvanquam non
conveniant Dd. an illa controversia de omni omnium liberorum,
an verò de sola horundem minorum restitutione fuerit. Plericq,
quos refert & seqvitur Strauch. ad 50. Decis. Ex. 3. c. 1. n. 32.
33. posterius affirmant, indeqve sanctionem d. l. 2. qva liberis
contra parentes restitutio in integrum denegatur, tantum de illa,
qva beneficio æatis impetratur, accipiunt. Etsi verò ab hac
communiori sententia recedat, eamque verbis & rationi cit. l. 2.
repugnare existimet Bachov. ad 7a πρώτα pag. 971. merito tamen
propterea notatur à Strauch. l. 6. cum ipsa decisio in d. l. 2. minoris
mentionem faciat, ibi: cum minor ex sua simplicitate &c. nec appareat,
qvod

quod quā restitutionem jure communī liberis contra parentes con-
cedendam, dubitatio, qvā Imp. Justinianum ad dispositionem
cit. l. 2. movit, ulla apud veteres fuerit. Cui accedit, quod
Novell. 155. qvā sāpe cit. l. 2. declaratur, p̄supponat, filiam
qvā contra matrem qvondam tutricem restituī vult; esse minorem,
licet de cetero non dissimulemus, illam restitutionem in integrum,
qvā per modum exceptionis vel declarationis in casu cit. Novell.
conceditur, non esse propriè & stricte talem; cum pertineat ad
acceptilationem à filia minore sine curatoris consensu factam,
qvam ipso jure nullam & invalidam esse, nullaque rescissione in-
digere, constat ex l. 1. Cod. de Acceptil. Si itaque verum sit,
l. 2. Cod. Qui & advers. qvos de sola restitutione liberorum, qvæ
ex capite minorennis atatis procedit, intelligi debere: verum quoq;
erit, quod per d. l. 2. non si derogatum non solum l. 2. C. Si
advers. donat. l. 2. Cod. Si advers. rem judic. (Vid. Strauch. l. c.
cap. 2. n. 11. seqq.) sed etiam l. 11. §. 1. π. de Dol. mal. l. 4.
§. 16. π. de Dol. mal. & met. except. l. 5. Cod. de Dol. mal. ubi
liberis dolo parentum laſis non quidem actio de dolo, sed actio
vel exceptio in factum proponitur; In qvam sententiam tran-
ſire videtur Mev. P. 9. D. 39. Nec hac ratione minorum con-
ditio deterior redditur, qvam majorum, cum illi eodem, qvo hi
modo tūtū sint videlicet actione vel exceptione in factum tempe-
rata, qvā efficitur, ne quod lucrum Parentes ex sua improbitate
conseqvantur, Strauch. l. c. n. 7. Nec porrò obstat, quod in con-
trarium urgent Bachov. l. c. & Tulden. ad d. 1. Qui & aduersus
qvos &c. per nominatam actionem vel exceptionem in factum, eti-
tacite & per indirectum, revera tamen parentis famam foggillari,
id quod ne fiat, Imp. Justinianus, in praesenti l. 2. C. Qui & ad-
uersus qvos disertè prohibet. Nihil enim impedit, qvo minus
& heic rectè utamur vulgari illa juris regula, multa omisita non
nocere, qvæ expresa vocent. Illud quidem indubium
videtur, quod liberi mediante remedio l. 2. Cod. de Ref. Vend.
vel etiam actione redhitoria ex capite Aedilitii Edicti, factum pa-
tris ac matris rescindere valeant. Atque hæc oīni, qvæ de
restitutione in integrum liberis contra parentes in genere vel deneganda
vel concedenda hucusq; diximus, etiam ad filium. in
contra-

contraktu cum patre inito, ex qvo ejusdem debitor existit, iasum
commode satis applicari possunt; supposito scil. casu, qvo dictæ
personæ invicem rectè agunt, e. g. si super peculio castrensi vel
quasi contractum sit. Vid. supr. §. 15.

§. 17.

Quando filiusf. cum fratre vel sorore communem
patremf. habente contraxit, qvoad obligationem civilem pa-
riter ac naturalem eadem, qvæ in §. 15. tradidimus, obtinent.
Alia est qvæstio, an, si unus fratrum, mortuo patref. solverit id,
qvod tantum naturaliter debebatur, solutum mediante condicione
indebiti in casu, qvo uterçū frater peculium profectum habuit, re-
peti possit? qvo pertinet sinuosa l. 38. pr. π. de Condit. Indeb.
de qva multi multa dixerunt; qvæ ut repetamus, B. L. vix à no-
bis desiderabit. Vid. Struv. in S. J. C. ad tit. de Condit. Indeb.
ib. 34. Marqvard. Freher. in Decis. Areopagit. c. 9. ubi cit. l. 38.
sub persona Soficlis & Cariclis eleganter exponit. Cœterum qvod
attinet beneficium restitutionis in integrum, hoc quidem, ex causa
licet ætatis impetrari solitum, filios. fratri contra fratrem denegan-
dum non est: cum frater fratri non reverentiam, cuius intuitu
dictum beneficium contra parentes cessat, d. l. 2. Cod. in f. qui &
advers. quos; sed saltē amorem debeat: cuius eti magna estrac-
tio; tanta tamen non est, ut damnum nobis à fratre illatum, in
eiusdem comodum & lucrum, reparare negligamus.

§. 18.

Si filiusf. cum extraneo, b. e. qvi nec illius paterfamilias,
nec una in hujus potestate positus est, contraxerit, semper sollicitè
distingvendum, an contractus citra intuitum peculii; an vero
de re ad peculium pertinente initus sit? Qvæ distinctio eò dili-
gentius adhibenda venit, qvò magis vulgo negligi perperam so-
let. Et quidem primo in casu, puta, quando filiusf. rem alien-
nam ex contractu mutui, commodati, depositi, pignoris, locati
conducti, emptionis venditionis, acceperit, vel etiam ad factum ali-
qvod, seu ad dationem rei ad peculium non pertinentis (qvia scil.
hoc vel plane non existit, vel non spectatum fuit à contrahente
sive paciente filios.) sese obligavit: rursus interest, an filiusf.

D

tempore

tempore pacti aut contractus major fuerit; an vero minor. Si major, maximè vera sunt quæ diximus supra §. 5. & 6. filium ex omnibus causis æque ac patrem, h. e. & naturaliter, & civiliter obligari. Qvod ut eò magis pateat, per nonnullorum contrarium species, occasione textum hic inde occurrentium, iuvare non premitur. Dicimus itaque filium majorem, quidere non peculiari cum extraneo contraxit, obligari I. ex mutuo, etiæ aliquando inefficaciter, propter obstantem exceptionem SCri Macedoniani; (Vid. Dd. ad tit. π. & Cod. de SCro Maced. Excell. Dn. Masov. & Dn. Frommann. diss. de SCro Macedon.) semper eamen validè, h. e. & naturaliter, l. 10. π. de SCro Macedon. & civiliter, l. 18. π. de SCro Maced. l. 6. pr. Cod. Eod. ubi contra patrem actio de peculio conceditur: atqui haec tanquam actio minus principalis, & adjectitia qualitate aucta, actionem principalem contra ipsum filium competentem presupponit. Qvod pluribus praelate demonstrat Excell. Dn. Masov. in laudat. diss. de SCro Macedon. ib. 17. seqq. Ceterum utraqve obligatio valde notabilem habet effectum. Qvemadmodum enim naturalis, in casu factæ solutionis, conditionem indebiti cessare facit, d. l. 10. π. de SCro Macedon. l. 19. pr. π. de Conditi. Indeb. ita Civilis transiit dominii operatur, vel minimum apertius indicatur. Nam cum mutuum, ex quo filius, pecuniam accepit, jure Civili non in se & simpliciter sit reprobatum, qvia scil. obligationem civilem producit, certè istud mutuum non potest non esse titulus ad transferendum dominium habilis. Atque hoc evidenter fatis appetat ex l. 9. §. 2. π. de SCro Macedon, in qua pecunia filios ab extraneo licet, numerata ad peculum referuntur. Jam vero res, cuius dominium creditor filii, retinet, ad peculum non spectat, per text. express. in l. 38. pr. π. de Pecul. Planè jure noviori, quo filius rem non à patre provenientem sibi meipsi acquirit, dominium pecunia mutuò data non in patrem sed in ipsum filium, transferri manifestum est. Qvapropter non errabimus, si dicamus, qvod nummi nondum consumpti ne quidem rei vindicatione repeti possint. Deinde obligatio civilis ex mutuo filii, descendens etiam ratione dantis operatur, hoc scil. effectu, utile conse-

consequatur actionem, et si inefficacem, veram tamen cit. l. 18. n.
de SCto Maced. l. 6. pr. Cod. eod. Hoc autem actio efficit, ut exce-
ptio SCti M. sit juris & proprie talis. Qvanquam enim ex spe-
ciali privilegio cum exceptione facti conveniat in eo, qvod litis
ingressum impedit, arg. l. 1. §. 1. l. §. 6. l. 9. §. 2. n. de SCe
Macedon. & ipsi executioni opponi possit, l. 11. n. d. t. Vid. Dn.
Fromann. cit. disp. de SCto Macedon. tb. 56. tamen in ceteris sui
naturam omnino retinet. Neque vero, ut hoc obiter addamus,
inspecta praxi, inspectisque effectibus, citra intuitum termini
exceptionibus opponendis præstutu, perinde est, an quis ex-
ceptionem juris, an vero talem, qva facti dicitur, habeat. Nam
(α) qui exceptione juris summoveri potest, nunquam incurrit
paenam temere litigantium, qvā is, qui sine justa & proba-
bili causa ad judicium provocavit, expensas litis aliudve damnum
reco refundere tenetur, §. 1. in f. Inf. de Pœn. temere litigant. l. 79.
n. de Judic. Item (β) exceptio juris à judice non debet sup-
pleri, qva de re distincte & perspicue egit Venerandus Dn. Paren-
teus in disp. de Investigando definendoque statu causæ forensis, tb. 10.
& hinc nec exceptio SCti Macedon. prout post Schneidew. recte
monet B. Fromm. in cit. disp. tb. 56. in fin. Qvæ omnia in casu,
qvo exceptio facti datur, aliter se habere nemo ignorat. Nec
obst. l. 6. n. de Dol. mal. l. 112. n. de R. J. ubi Paulus: Nihil
interest, ipso sive actionem quis non habeat, an per exceptionem insi-
metur. Nam hoc saltem verum videtur qvoad statum actionis
extrajudicialiter spectata. Conf. Dn. Stryk, in tract. de Interesse con-
trovers. in for. c. 12. §. 6. qui hæc aliter conciliat.

II. ex Commodo l. 3. §. 4. n. Commod. & hinc quoq;
ex precario l. 5. §. 1. n. de Pecul. l. 13. n. de Precar.

III. ex deposito l. 38. pr. n. de Pecul. l. 21. n. depos. Qvæ
rum legum occasione probè notandum, qvod res à filio-famil.
ex contratu sive actu, qvi non est titulus ad dominium transfe-
rendum habiliis, accepta non pertineat ad peculium, cir. l. 38.
& per consequens solus filius: actione personali conveniri possit,
non vero pater actione de peculio. d. l. 21. n. depos. conf. dicta
superius in §. 3. Nec obst. cit. l. 3. §. 4. n. Commodat. l. 13.

π. de Precar. l. 5. §. 1. *π. de Pecul.* ubi, si res apud filiumf. deposita, vel eidem commodata ac precariò data sit, cóntra patrem actio de peculio conceditur. Hoc enim intelligi debet, positis terminis habilibus, eo scil. de casu, qvo non ad rem in specie sed ad hujus estimationem, vel in genere ad quantitatem præstandam agitur. Cœterum si pater rem filios. e. g. commodatam detineat, actione ad exhibendum, & post rei vindicatione pulsandus est, cit. l. 38. pr. π. de Pecul. Ex qvo sua sponte seqvitur, qvod si e. g. pecunia apud filium-famil. deposita sive ab ipso filio actione personali, sive à patre actione reali repetatur, jus separationis nempe ordinarium creditoribus filiisam. competit, idoqz paterf. sui filii creditor, cui alias nullum privilegium præponitur, l. 52. π. de Pecul. id qvod ipsi debetur, deducere non valeat, per cit. l. 38. pr. π. de Pecul.

IV. ex Stipulatione, e. g. si filiusf. fidejusserit. Constat enim ex l. 5. Cod. Qvod cum eo, qui in alien. potestat. qvod tunc ille competenti actione, scil. ex stipulatu teneatur, dummodo filiusf. pro alio, mutuam pecuniam accipiente fidejusserit, non verò eum in finem, ut postea ab eodem pecuniam reciperet. Alias enim exceptio SCti Macedon. datur. l. 7. pr. in verb. sed Julianus π. de SCto Macedonian. Scendum qvoqz est, qvod pater, si filiusf. de peculio profectio ex causa fideiustionis solverit, actionem mandati habeat contra debitorem, pro qvo solutum fuit. l. 12. §. 5. π. Mandat. Cujz ratio dependet ex regula generali, qva ipse filiusf. ratione peculii profectitii agere prohibetur, l. 18. §. 1. π. de Judic. l. 9. π. de O. & A. Sicuti autem filiusf. pro extraneo; ita qvoque pro patre validè fidejubet. l. 10. §. 2. π. & l. 8. Cod. de Fidejuss. Qvod pluribus firmat Hering de Fidejuss. o. 7. n. 336. seqq. ubi simul n. 347. subjicit, qvod jure statutario Florentino nec non jure Gothico & Seelandico contrarium obtineat. Præterea filiusf. ex stipulatione obligatur, si qvod alii mutuò dedimus, ab illo, novandi causa, stipulemur. l. 13. π. de SCto Muced. Dicimus, qvod alii. Nam si filiusf. id qvod ipse mutuò accepit, per stipulationem in novam obligationem deducat, exceptio SCti Maced. nihilominus locum habet. Zanger de Except. Part. Ult. c. 10. n. 8. Denique nec illud omitten-

omittendum est, qvod filiusf. mediante stipulatione, mortis causa pariter ac inter vivos omnino validè donare possit. Qvod enim nonnulli, ex l. 2. pr. & l. 7. pr. π. de *Donatione*, l. 25. §. 1. π. de mort. caus. donat. in contrarium urgent, filiifamil. donationem nonnisi patre consentiente subsistere, hoc per ipsas cit. l. 2. & l. 7. rectè restringitur ad casum, quo donatio fit de rebus peculii profectiui. Aliud itaque dicendum est, quando filiusf. qui donavit, vel planè nullum peculium habet, vel tale, de quo liberè disponere ipsi permititur. Et quidem priori in specie filiusf. postquam proprii quid consecutus est, rectè convenitur. Imò generaliter verum est, filiumfam. teneri ex omni pacto, licet simplici, scilicet in se & sua natura obligatorio e. g. ex pacto juris-jurandi, l. 5. §. 2. π. de *Pecul. constituti* l. 15. π. de in rem vers.

V. ex mandato l. 61. π. *Mandat.* ubi contra filium, qui, adhuc in potestate constitutus, mandatum exigendi accepit, sed demum post emancipationem exegit, actio mandati conceditur. Cui non officit, qvod jure veteri per emancipationem actio contra filiumf. competens expiret. Vid. supr. §. 6. Nam respondeatur ex ipsa l. 61. qvod actio, quæ in praesenti casu competit, nonnisi utilis sit, quam dari tanto æquius est, quantò minus mandans ante emancipationem agere poterat, qvō tempore nondum filiusf. exegerat pecuniam mandanti debitam. Evidem, an filiifamil. mediante contraetu mandati, sine patris consensu ad procuraturam judicialeim, de jure civili, (Nam de jure Canonico nullum est dubium, per c. qui generaliter, §. 1. de *Procur.* in 610) se obligare possit, haut leviter inter Dd. disputatur. Negant Ascan. Clement. de *Patr. Potest.* capit. 6. eff. 4. n. 8. it. Accurs. & alii, teste Gvid. Pap. in *Decis. Gratianop.* Ques. 54. n. 2. Sed contra affirmant Menoch. de *remed. recip. poss.* 15. n. 307. & cum hoc B. Frommann. in *disp. de Administr. Advent.* legit. th. 54. Vul-tej. de *Judic.* L. 1. c. 5. n. 12. Qvorum sententiam & nos seqvi jubent l. 8. pr. in f. l. 35. pr. π. de *Procur.* l. 57. π. de *judic.* Non obst. l. 9. π. de *O. & A.* nam in hac ipsa l. 9. notanter dicitur, filiumf. suo nomine nullam habere actionem. Ergo habebit

bebit alieno & procuratorio nomine, etiam contra patremf. arg. l.
§ 6. π. de i[n]jus voc. Brunnemann. ad l. 4. C. de Patr. potest. n. 3.
Neque vera est illatio Asc. Clement. l. c. eum, q[ui] suo nomine
agere prohibetur, nec alieno experiri posse: cujus contrarium
evidenter apparet ex cit. l. 16. & §. 4. Inst. de Inoff. Test. Atq[ue]
hanc sententiam, p[ro]pter cit. c. q[ui] generaliter §. 1. in 6. hodie in
praxi obtinere fatetur ipse Ascan. l. c. n. 12.

VI. ex societate per l. 58. §. 2. π. Pro Soc. circa quam
notari meretur, q[uo]d filius post emancipationem, etiam ratione
temporis prateriti, q[uo]d in patria potestate fuit, à socio conve-
niri possit: Id verò singulare est, cum actio, qvæ contra si-
liumf. datur, facta emancipatione jure stricto expiret. Rationem
singularitatis desumit Bachov, ad 7a πρωτα p. 1158. ex l. 8. π.
de Capit. diminut. ubi dicitur, q[uo]d actiones ex zqvo & bono,
q[uo]d referunt inter alias actionem pro socio, per emancipationem
non tollantur. Sed propior & magis manifesta ratio est, q[uo]d societas
cum filios inita post emancipationem ipso jure continuatur, l. 65.
§. 11. π. Pro Soc. Vid. Mantic. De Tacit. convenit. L. 6. tit. 24. n. 8.
Felic. de Societ. cap. 33. n. 3. adeoq[ue] prior societas duret maneatq[ue],
nec tacite vel facto instaurata dici possit, q[ui]a renovatio dissolutionem
præcessissi arguit. Neque vero perinde est, an societas
sit instaurata, an vero ipso jure continuata. Nam priori in casu,
secus ac in posteriori, negotium accessorium, q[uo]d à voluntate
tertii dependet e. g. fidejussio, expirat nec reviviscit. arg. l. 13.
§. f. π. & l. 7. Cod. Locat. Felic. d. l. cap. 41. n. 28. Denique
adjiciendum est ex l. 84. π. Pro Soc. q[uo]d, si iussu patris cum fi-
lios. societas coita sit, directò h. e. principaliter cum illius persona
agi possit qvæ in contrahenda societate spectata fuit: id q[uo]d ta-
men h. l. singulare non est, sed semper obtinet, si iussu patris con-
tractum sit.

VII. ex locatione & conductione l. 3. §. 3. π. de SClto
Maced. De cuius veritate ut èo evidenter constet, distinguen-
dum est, an filiusf. conduixerit, an verò locaverit. Primo
in casu nihil obstat, q[uo]d minus ille obligetur, ita quidem, ut,
si res conducta sit, h[oc]c in specie restituenda sit, nec actio de pe-
culio,

culio, qvæ dominii translationem præsupponit, locum habeat, per
ea, qvæ in præcedd. de re filios. commodata diximus. Secundo
in casu interest inter locationem rerum & operarum. De
illa judicandum est ex seqq. ubi de contractibus super rebus ad
peculium pertinentibus sermo erit. Qvod verò attinet locationem
operarum, hæc à filios. facta omnino est valida, et si con-
cedamus, qvod liberi in patria potestate positi ex obligatione quadam
legali, patribus suis operas præstare teneantur, vid. supr. §. 7. Illa
enim obligatio tanta non est, ut contractus, vi cuius filius. extraneo
suas operas locavit, sit inutilis, notante Gutterez. de Juram. con-
firm. P. 1. c. 5. n. 5. qvem seqvitur Dn. Harppr. in diss. de Operis
liberorum ib. ult. in fin. Facit l. 27. pr. π. de Pecul. ubi dicitur, si
filias. sit sarcinatrix aut textrix, actionem de peculio dari. Ac-
cedit, qvod filius. extranei pariter ac ipsius patris. insitor esse
possit. l. 7. §. 1. π. de Inst. abt. l. 7. §. 11. π. de SCto Maced.
Hic vero per contractum locationis & conductionis ut plurimum
constituitur.

VIII. ex exemptione per cit. l. 3. §. 3. π. de SCto Maced.
§. 1. 3. Cod. Eod. Neqve verò turbare qvenquam debet consti-
tutio Imperatoris Rudolphi II. anno 1589. promulgata, qvam
exhibet Hahn. ad Wesemb. tit. de SCto Macedon. n. 5. ubi emptio
cum filios. inita inefficax pronuntiatur. Illa enim constitutio est
non Imperialis, sed provincialis, uti appareat ex verbis: Ent-
hieren allen und jeden Unsern Unterthanen & porro: Wann wir
dann als Herr und Landes-Fürst ic. Qvale formulæ
non occurunt in Constitut. Imperii universalibus. Nam ibi no-
toriè dicitur. Enthieren und befehlen Kraft Kaiserlicher Macht
und Swal allein und jeden Reichs-Unterthanen. Plane, si quis
filiofamil. in fraudem SCti Macedonian. vendat eum puta in fi-
dem, ut ille pretium habeat in mutui vicem, etiam de jure com-
muni dicti SCti exceptio obstat. l. 3. §. 3. l. 7. §. 3. π. de SCto
Macedon. Idem dicendum, si luxurioso fides de pretio habe-
atur, arg. §. pen. in f. 3. Qvod cum eo qui in alien. potest. Papon.
in Arreft. regn. Franc. L. 12. t. 4. arreft. 1. Qvod & multorum
in Statuum territorii ac Academiis speciali legislatione sicut san-
ctum

citum teste Excell. Dn. Mascov. in diff. de SCia Macedon. th. 15.
Dn. Frommann. in cit. diff. th. 27.

§. 19.

Sed quid dicemus de illa specie, qva filius - famil. rem
cum pacto de retrovendendo emit? annon istud pactum
valebit? Ex facto tractat hanc controversiam Alexander Vol. 7.
conf. 106. ubi haut obscurè innuit laudatus JCtus ante omnia di-
stingendum hic esse, an pactum in continenti; an verò ex in-
tervallo sit adjectum? sive clarius loqvendo, an pactum tradicio-
nem rei à filios. empta præcesserit, an verò secutum sit? Primo
in casu nullum fere suppetit dubium, qvin pactum sit ratum ac
validum, eti demum actui traditionis accesserit. Neq; enim pater
in re à filios. empta, anteqvam huic per traditionem jam actuali-
ter acqvisita est, qvicq;am juris habet. Secundo in casu resert,
antres ex pecunia Castrensi; an verò ex alia empta sit? Si prius,
itidem subsistit pactum, qvia res illa pertinet ad peculium militare
l. 1. Cod. de Castrans. pecul. Atqvi de hoc filiusf. etiam sine patris
consensu qvocunque modo liberè disponit l. 2. Cod. d. 1. Si
posteriorius, pactum de retrovendendo invalidum esse rectè pro-
nuntiat Alexandr. l. c. propterea qvod res empta, facta tradicio-
ne, spectet ad peculium adventitiū regulare, de qvo liberis. soli
nulliter paciscuntur, l. f. §. 5. fere in f. Cod. de Bon. qva liberis &c.
vid. infr. §. 25. Cui conseqvens est, qvod ne qvidem ad interesse ex
tali pacto filiusf. conveniri possit, qvia id, qvod nullum est, nullum
post se relinquit effectum. l. 5. Cod. de LL. Dissentit Bartol. teste
Alexandr. l. c. n. 1. in f.

§. 20.

Ultimo loco qværi specialius potest, an filiusf. ad me-
rum aliquod factum, qvod in se inhonestum non est, in-
scio patre se validè obliget? Qvod uti regulariter affirman-
dum est secundum ea, qvæ supra de mandato & locatione ope-
tarum diximus: ita contra negandum, si factum sitale, qvod patriz
potestati & disciplina domesticæ repugnat, cuiusmodi tamen non
est itio in militiam. Proinde si filiusf. illam sponte nec dolo-
persua-

persuasus (vid. Corp. Jur. milit. p. 464. n. 11.) et si solus promisit, omnino tenebitur, præsertim cum jus patr. potestatis in causis publicæ utilitatis, ad quam, si quæ alia res, certè militia pertinet, non attendatur. l. 9. n. de His qui sūi sunt vel alien. jur. Imò patrem, quod est filium, qui jam actu militiæ nomen dedit, eidem subtrahit, graviter puniri, constat ex l. 4. §. 11. n. de Re milit. Nec officit, servos absq; dominorum permisso milites fieri non posse, l. 11. n. d. i. Cujus ratio consistere videtur in eo, quod servus ex simplici & absoluta quadam necessitate operas domino præstare teneatur, secus ac filius. patri. Atqui operis obligatus militiæ nomen, non sine injuria patroni, multò magis domini, dabit. l. 43. n. de Oper. libert. quod jus hodie quoque portigitur ad homines proprios, sib; eigne Unterthanen / quos, invitisi dominis, in militiam nec ire, nec trahi posse, quotidie hic quidem loci experimus. Rectius ad facta potestati patriæ & disciplina domesticæ contraria refertur consummatio matrimonii; quod sit, ut sponsalia, sine patris. consensu celebrata, nulla sint ac irrita. l. 7. §. 1. n. de Sponsal. conf. illa, quæ de voto filius personali supra diximus. §. 11.

§. 21.

Hactenus de filiofamil. majore, (vid. supr. §. 18. In pr.) qui cum extraneo de re non peculiari contraxit. Si autem ille sit minor, aut impubes est, aut pubes. Impubes aut solus contraxit, aut patres. autores. Primo in casu eadem obtinere videntur, quæ tunc, quando pupillus sine tutoris autoritate contraxit. Vid. Dd. ad tit. n. de Pact. & ad tit. de O. & A. Struv. in S. J. C. Ex. 6. tb. 39. Bechmann. disp. de Obligat. Impuber. Hinc, si cum filiofam. impubere contractum sit, dabitur in patrem actio de peculio, si hoc locupletius factum sit per text. expressi. l. 1. §. 4. n. de Pecul. Neque enim dubitandum, quin impubes peculium habere possit. l. 7. §. 3. n. d. i. Secundo in casu certum est ex §. 10. J. in f. de Inutil. stipul. l. f. §. 2. n. de V. O. quod, et si pupillus, tutore authore; non tamen impubes filius. patre authore obligetur. Cujus differentiæ rationem eti alli alter efferant, vid. Vultejus, Bachov. Vinn. cœterique Dd. ad

E

cit. §.

ib. §. 10. optima tamen & legislationi Justinianæ, ad quam d.
§. 10. referendus est, convenientissima videtur illa, quod ad obli-
gationes contrahendas non pertineat patris potestas, sicut tutoris
authoritas. Fr. Balduinus *ad cu. §. 10.* Cum enim illa solam fa-
milia utilitatem respiciat, pater quæ talis suo consensu efficere ne-
quit, ut filius. obligationem, cuius propter naturale ætatis im-
pedimentum incapax est, contrahat. Illud tamen concedimus
Bachovio & Vinnio *l. c.* filiumf. impuberem, qui consentiente
patre hæreditatem adiit, creditoribus hæreditariis pariter ac testa-
mentariis obligari, per *l. 8. §. 4. Cod. de Bon.* que liber. non qui-
dem propter consensum patris (*Aliás enim filius.* qui patre recla-
mantे hæreditatem adiit, non obligaretur, contra *cit. l. 8. §. 1.*
in f. ubi filio restituio in integrum, quæ obligationem præsup-
ponit, conceditur) sed potius propter naturam actus, qui talis
est, ut obligationem ex re h. e. ex facto in se & citra verum con-
sensum obligatorio, quod h. l. est *hæreditatis adiit*, venire dicen-
dum sit. Atque ita, quando ex re obligatio venit, impubes, et si
solus quid gesit, obligatur, *l. 46. n. de O. & A.* Quæ cum ita
sint, merito inferimus, filiumf. impuberem, et si de rebus ad pec-
culium regulare pertinentibus, patre consentiente contraxerit, ta-
men non obligari minimum *civiliter*. Qvanquam enim ille cum
patris consensu de dicto peculio validè contrahat, hoc tamen non
procedit, si filius. in se & propter naturale aliquod ætatis impe-
dimentum, quod patris authoritas secundum dicta tollere nequit,
sustinentæ obligationis incapax sit. Si vero filii. impuberis in-
terfit, ut de bonis adventitiis contrahatur, e. g. mediante venditi-
one, suscipiat hanc ipse pater, ceu cui res peculii adventitiæ re-
gularis necessitatis vel utilitatis causa, etiam sine decreto judicis,
alienare permittitur. *l. f. §. 4. & 5. C. de Bon.* que liber.

§. 22.

Majoris dubii quæstio est an filiusfam. minor pubes sine
patris consensu, obligari possit, uti potest minor sui juris cu-
ratorem non habens, *l. 3. Cod. de Reßit.* in integr. min. Quod de
jure communi affirmare non veremur maximè propter *l. 2. Cod.*
de Filiosam. minor. ubi filios, minori qui sine patris consensu nec
contra

contra SCtum Macedon. mutuam pecuniam accepit, restitutio in integrum, obligationem praesupponens, datur. Nec obstat (1) quod pater curatoris vices sustineat. l. ult. pr. Cod. de Curator. furios. Nam hoc tantummodo verum est illo in casu, in quo filius. curatore indiget, qualis non est is, de quo loquimur, cum secundum dicta minor, propter judicij stabilitatem, §. ult. Inf. Quid & quib. ex caus. manumitt. ad obligationem recipiendam sit habilis. nec curatore, ante contractum non existente, opus habeat. d. l. 3. Cod. de Restit. in integr. minor. Nec obstat (2) l. 5. Cod. quod cum eo qui in alien. potestat, quae propter l. 1. Cod. de Filiosam. minor. intelligenda est de actione adversus filium. majorenem efficiaci, quatenus scil. per restitutionem in integrum, quae filiosam. minori datur, auferri nequivit.

§. 23.

Quanquam itaque per haec tenus deducta filius. pubes, qui sine patris consensu circa respectum peculii contraxit, que ac majorenis ipso jure obligetur, sit tamen aliquando, ut ista obligatio vel plane evanescat, vel saltem inefficax sit. Primum contingit propter filius. contrahentis etatem minorenem, quae eidem beneficium restitutionis in integrum, que ac minori sui juris, (Vid. Dd. ad tit. π. de Minor.) indulget; l. 3. §. 4. vers. Ego autem π. de Minor. l. 1. Cod. de Filios. minor. ita quidem, ut dictum beneficium, etiam facta emancipatione, propter contractus durante patria potestate initos, locum habeat l. 58. §. 1. π. de Minor. Illud quidem questionis est, an patri restitutio, qua filios. conceditur, profit. de quo tamen infra commodior dicendi locus erit. Posteriorius sit duplice ex causa, & quidem (1) propter naturam contractus, si nimur hic in mutuo pecunia numeratae consistat. Tunc enim creditori obstat exceptionem SCti Macedoniani ex t. t. π. & C. de SCtio Macedon. fatis notum est. Et hinc jam olim sub imperio Francorum à Carolo & Ludovico lex, quae existat capitulo. 225. Lib. 7. ap. Lindenbrog. in Cod. LL. Antiqua fuit lata: Qui filio famil. contra interdicta legum inscio patre pecuniam commendavit, eam nec vivente, nec mortuo patre ab eodem poterit postulare. add. Dn. Schilt. Ex. ad π. 27. §. 63.

§. 24.

§. 24.

IIdo Propter inopiam, si nimirum filius. propria bona non habeat. Qvo in casu, et si ille recte condemnetur, l. s. n. *Quod sum eo qui in al. potest tamen executio tamdiu differtur*, donec proprii quid conseqvatut filius, qui nihilominus, ex dispositione Justiniani in l. penult. Cod. *Qui bon. ceder. poss. bonorum futurorum cessionem e. g. propter spem paternæ hæreditatis, facere potest, ne injuriā patiatur, h. e. ne carceri mancipetur, non autem eo effectu, ut creditoribus immisso in bona paterna concedenda sit.* Nam nec ipse filius obēratus, instantibus licet creditoribus, patrem cogere potest, ut portionem bonorum legitimè nomine sibi cedat. arg. l. 6. Cod. de Inoff. Test. Mev. ad J. L. P. s. 1. 2. art. 33. n. 68. Vid. Barbosa ad cit. l. 6. Carpzov. P. 3. C. 2. Def. 20. num. 2. cceteriqve Dd. pleno numero citati & probati à Dn. Harpprecht. in land. disp. I. de Divisione bonorum &c. J. 17. & 18. B. Dn. Fritsch. de Peccat. Fil. concil. 26. ubi ad peccata filiorum refet, si hi, ad exemplum perditii filii, cuius Lucæ 15. mentio fit, absq̄ authoritate legis, patres cogunt, ut vivi adhuc substantias dividant. Vid. Siracid. c. 33. v. 20. seqq. Necq̄ aliud obtinet de Jure Lubecensi vi cuius separatio bonorum, et si valde freqvens sit, tamen non aliter qvām ex voluntate patrum procedit. Mev. l. c. n. 85. Eqvidem in Specul. Svevic. cap. 282. expressè statuitur: Der Vater soll seinen Sohn von ihm sündern / so er fünf und zwanzig Jahr alt ist / mit so viel Gut / als er geleisten mag / also das ihm das mehrere Theil bleibe / und thür er das nicht gern / der Sun nörhet ihn des wol mit recht vor seinem Richter. Idem repetitur c. 316. ibi: Ein Sun nörhet seinen Vater wol mit rechel so er fünf und zwanzig Jahr alt ist / dass er sein Gut mit ihm ihselfen muss. Sed utrum hac dispositio ullibi in Germania observetur, adeoq̄ ad præsentem nostrum casum applicari queat, nos qvidem ignoramus. Hoc certum, qvod cesso bonorum futurorum à filios facta, si huic e. g. hæreditas paterna deferatur, sine ulteriori mōta & actu suum sortiatur effectum. Quid autem dicendum, si pater filium - famil. qui bonis futuris cessit, exhæredet eum in finem, ne bona post mortem suam in manus creditorum

ditorum veniant? Potest hæc qvæstio dupliciter intelligi, scil. (1) de jure ipsius filiifamilij, cuius quidem intuitu testamentum paternum rescindi non posse facile constat, qvia exhereditatio, hoc in casu, bona mente facta est, arg. l. 16. §. 1. π. de Curat. furioso Carpozov. in *Jurispr. For. P. 3. C. 9. D. 11. n. 4.* Jam verò talis exhereditatio querelæ inofficiose testamenti non subjacet, sed omnino, etiam post Novell. 115. subsistit. Sande in *Decis. Frisic. L. 4. t. 2. Def. 3.* (2) de jure creditorum, qui vel actione Pauliana, vel rei vindicatione bona hæreditaria occupare præsumuntur. Sed neutra actio parata est. Non prior, qvia non ipse debitor sed ejus pater qvid gessit. Qvò fit, ut dicta actio Pauliana, qvæ ab ipso debitore aliquid gestum esse requirit, locum habere nequeat. Non posterior, cum creditores per cessionem bonorum qvæ tales non efficiantur domini. l. 4. Cod. Qui boni ceder. poss. Müller ad *Sir. pag. 235. ad ib. 31. lit. a.* Qvod multo magis præsenti in specie verum est, qvæ ipse cedens debitor non fuit dominus. Qyanquam enim filius. etiam vivente patre bonorum paternorum dominus dicatur, l. 11. π. de Liber. Postibum, tamen in hac ipsa l. 11. notanter adjicitur particula quodammodo, qvæ meram juris fictionem & improprium loquendi modum evidenter satis arguit. Qvod pluribus eleganter declarat B. Dn. Frommann. in *disp. de Domin. Acquisit. ib. 39.* sed vid. Galvanum de *Usufr. c. 8. n. 12. junct. preced.*

§. 25.

Atque hæc omnia, qvæ hactenus dicta sunt, pertinent ad casum, qvò filius. de re non peculiariter contraxit. Si verò contraetus de peculio initus sit, pro ejusdem diversitate diversimodè statuendum venire. Et quidem de peculio castrensi filiis. etiam sine patris consensu, liberè contrahunt, l. 7. §. f. π. de *Donat.* sive sint majores, sive minorés, per deducia superius §. 22. & per consequens ex contractu, acve ac patrest. & naturaliter & civiliter obligantur. Idem obtinet qvæ peculum adventitium irregulare, dummodo liberis. contrahentes fuerint perfectæ etatis h. e. majores 25. annis, arg. *Novell. 117. §. 1.*

E 3

qvod

quod pluribus explicat Lauterbach. *disp. de Pecul. adventit. irregul.*
ib. 23. seqq. Si autem illi fuerint adhuc minorennes, ad ductum
cit. Novell. 117. distingendum venit, an curatorem actu ad-
ministrantem, sive hic si pater sive extraneus, habeant; & tunc
filii, soli de peculio adventitio irregulari inefficaciter contrahunt,
arg. l. 3. Cod. de Restit. in integr. minor. an vero talis curator de-
ficiat: Quod casu, eti patris (qui scil. actu non administrat) con-
sensus adhibitus non sit, tamen ex parte liberorum obligationem
civilem pariter ac naturalem natam esse non dubitamus, per ea,
qua supra scripsimus in cit. § 22. quem vide. Quid peculum
adventitium regulare discrimen faciendum est, an filius fami-
contraxerit patre consentiente, an vero non consentiente. Primo
in casu contractum valere non ambigitur, dummodo filius, pubes
fuerit. vid. omnino supr. §. 21. in fin. Secundo in casu filius
aut (1) contraxit de fructibus peculii adventitii, e. g. si hoc alteri
locaverit; & tunc propter usufructum, quo pater in peculio ad-
ventitio regulari notoriè gaudet, contractum locationis, minimum
durante usufructu paterno, subsistere non posse, vix quisquam
negabit: aut (2) de ipsa rei proprietate; quo facto filium. eti
majorenem, nulliter pacisci, diserte statutum est in l. f. §. 5. ver-
silio autem, *Cod. de Bonis quae liber.* Quod non solùm æquitati Na-
turali optimè convenit, fatente Ill. Pufendorf. de J. N. & G. L. 6.
e. 2. §. 8. sed etiam adeò verum videtur, ut filius nec durante
patria potestate ad interest, *arg. l. 5. Cod. de LL.* nec eadem ex-
stincta, sive in propria, sive hereditis persona, ad actualem traditio-
nem ipsius rei, e. g. venditæ, conveniri possit, propter regulari-
quod quæ ab initio valida non sunt, ex postfacto minimè conva-
lescant. l. 29. n. de R. J. Quam sententiam pluribus defendit va-
riisque rationibus instruit B. Dp. Frommann. de Administrat. Ad-
legit. in ib. 62. quod B. L. remittere liceat. Planè, si e. g. ven-
ditioni rei ad peculium adventitium regulate pertinentis à solo
filio facta juramentum accederit, hoc à filio, usufructu paterno
finito, servandum esse, ex dispositione juris Canonici merito in-
fertur. Et ita olim quoque in Camera Imperiali à nonnullis As-
foribus judicatum fuit, teste Mynsinger. 3. O. 10. num. 8. & 9.
Denic

Denique, ut de peculio profectitio quid adjiciamus, videndum est, an pater filio dicti peculii administrationem simpliciter, an vero ita, ut libera esse debeat, concesserit. Priori in specie de illo, mediante contractu, qui alienationem continet, contrahere nequit, nisi expressa patris voluntas accedat. l. 10. n. Quodcumque enim eo, qui in al. potest. l. 41. s. 1. n. de R. V. Posteriori in specie, contractus iste valet ad. l. 18. s. f. l. 19. n. de Pignor. Alio dummodo non procedat ex causa donationis. Hac enim filio permisum non est, nisi pater nominatum vel expresse vel tacite consentiat, dd. l. 7. pr. s. 1. & seqq. n. de Donat. add l. 1. s. 1. n. Quare res pign. dar. poss. Evidem, an moribus hodiernis peculium profectitum existat, adeoque ea, quae de isto peculio in Jure Romano disposita reperiuntur, usum habeant? haue leviter disputatur inter Dd. Sed hac de re infra dicemus, de utilitate actionis de peculio actari.

s. 26.

Supereft, quoad primum tractationis nostra membrum (vid. s. 4. & 11.) ut dispiciamus, an & quantum filius. ex delicto obligetur? Ac primò quidem hac in re distingendum est, an filius jussi patris, an vero motu proprio deliquerit. Primo in casu, cum communis Dd. Schola, novissime distinxit Dn. Harpprecht. disp. de Oper. liberor. th. 40. inter delicta leviora & atrociora. Quantando filius leviter tantum delinqveret a patre iussus est, et si obedire non teneatur, tamen, si hoc nihilominus factum sit, excusationem meretur. l. 37. n. ad L. Aquil. l. 167. s. 1. l. 169. n. de R. f. l. 11. s. 4. n. de His qui not. infam. Velle enim non creditur, qui obsequitur voluntati patris vel domini. l. 4. n. de R. f. Alio fere res habet in delictis atrocioribus, quae, si filius tam ad mandatum patris perpetravit, & que ac aliis, qui mandatum rei turpis implevit, penam ordinariam pati debet arg. l. 20. n. de O. & A. eti hanc pro ratione circumstantiarum aliquando mitigandam esse, colligant Dd. ex l. 2. Cod. de Sepulchr. viol. Dn. Coccej. disp. de Socio crimin. th. 32. in fin. Dn. Harpprecht. l. c. p. 55. Coeterum quantum delicta levia, quantum vero atrocia vel

atro-



atrocissima sint, latè exponit Farinac. *Ques. crim.* 18. n. 61. seqq.
Secundo in casu, qvò scil. filius. *moi proprio* deliqvit, refert,
utrum illud erga patrem, utrum vero erga extraneum sive cul-
pa sive dolo factum esse appareat. Si prius; e. g. si filius. pa-
tri rem furto abstulerit, propter fictionem unitatis, de qua supra
§. 15, diximus, actio cessat l. 16. π. de Furt. §. 12. *Inst. de obli-
gat que ex delict. qvanquam non dubitandum sit, quin in foro
conscientia filius, clam de Parentum facultatibus aliquid subtra-
hens, non minus graviter quam aliis fur peccet.* Hinc Salomo
in *Proverb.* cap. 28. Qui subtrahit aliquid à Patre suo vel à ma-
tre, & dicit hoc non esse peccatum, instar est homicidæ. vid.
Dn. Fritsch. de Peccat. filior. concl. 23. Nec de jure civili plane
impunis est filius. qui in patrem deliqvit, cum hic illum jure pa-
træ potestatis castigare possit. l. 3. *Cod. de Patr. Potestat.* Si
posteriorius, filius. ex suis delictis omnino civiliter obligatur.
§. fin. *Inst. de Noxal.* aet. ita quidem, ut, si, post mortem patris,
ad poenam pecuniariam ab extraneo laeso conveniatur, et si parum
vel nihil ex paterna hereditate consecutus sit, beneficio compe-
tentiae non gaudeat. l. 4. §. 20. π. *Qvod cum eo qui in al. potest.
negot. gest. Giurb. Decis. 43. n. 3. seqq.* Illud tamen singulare
est, qvod pater in gravioribus delictis publicis à filios. commis-
sis, qvorum severior animadversio iudicio relinqvitur l. 13. §. 4.
π. *Locat. l. 5. §. ult. & l. 6. ad L. Aquil.* oblatione filii facta poe-
nam determinare potuerit, quam judex pronuntiando sequi tene-
batur. d. l. 3. *C. de Patr. Potest.* Idque juri divino *Denteron. c. 21.
v. 18.* consonum putat Bodin. *de Rep. L. 1. c. 6.* Imò et si pa-
terfam. filium, qui poenam capitalem meruit, offerens, nullam
poenam determinaverit, judex eam nihilominus mitigare debet,
ne pater ad supplicium obtulisse videatur. l. 13. §. f. π. de Re
milit. vid. omnino Brunn. *ad cit. §. f.*

§. 27.

Satis jam diximus de obligatione filiifam. in se considerata.
Transeamus nunc, juxta superius §. 4. proposita methodi le-
gem, ad secundam disquisitionis nostræ questionem, an & qua-
tenus scil. ex ista obligatione jam contracta vel adversus
patrem,

patrem , vel ipsum filium - familias actio nascatur ?
Et quidem respectu patris primo loco distingvendum videtur , utrum
filius . jussu patris obligatus sit , nec ne ? Primo in casu , filius .
aut deliquit , & tunc in gravioribus delictis (vid . § præced .)
& pater & filius principaliter ac direc̄tō tenentur , arg . l . 2 . pr . n .
de Noxal . atl . l . 11 . § . 3 . π . de Injur . Lauterbach . in Colleg . th .
pr . ad iiii . π . Qvod jussu ibi . 2 . in pr . (Vid . omnino Brunn . Cent .
1 . D . 42 .) aut contraxit : qvō factō , in patrem actio qvod jussu
datur . 1 . 1 . π . Qvod jussu ibi . Dd . ita quidem , ut , si creditor hāc
actione solidum consecutus sit , filius omnino liberetur . arg . § . 1 . J .
de Duob . reis fīp . et si è contra , si filius . per restitutionem in inte-
grum obligatione exemptus sit , (vid . supr . § . 13 .) nihilominus
pater adhuc conveniri queat . l . 3 . § . 4 . π . de minor . ibi : Sed an
hoc auxilium . Non obſt . l . 27 . π . Eod . qva loquitur de casu ,
qvō pater tantum actione de peculio tenetur , qva evitari potest ,
restitutione in integrum ex persona filii impetrata . Cujus diffe-
rentia ratio manifesta est ex eo , qvod creditor , qui jussu patris
cum filios . contraxit , magis illum qvām hunc respexerit . Cons .
Bachov . ad Ia περια p . 1094 . seqq . Gravior incidit dubitatio .
an & qvando actio mandati cum actione qvod jussu
concurrat ? Qya de re non una est Dd . sententia , prout ap-
paret è notatis Ludwelli ad § . 1 . J . Qvod cum eo , qvū in alien .
potest . qui ipse questionem dubitanter decidit . Sed ut hic certi
qvid statuatur , omnino opus videtur ; cum & in foro multū in-
tersit , an quis actionem qvod jussu , an verò actionem mandati in
judicium deducat . Nam prior actio intentari debet in loco , in
qvo contractus cum filios . perfectus est , posterior autem , ubi ex-
traneus à patre mandatum cum illo contrahendi accepit . Dein-
de actio qvod jussu , tanquam actio minus principalis & adjecti-
tia qualitate aucta , pro diversitate actionis principalis , vel bonæ fi-
dei vel stricti juris est ; actio autem mandati semper bonæ fidei .
§ . 28 . Inst . de Aet . Neque verò hodie differentia actionum str .
l . & b . f . in totū sublatæ , vid . omnino Mev . cons . 97 . qvæst . 21
per tot . sed in nostro foro supersunt , teste Stypmann . de Referend .
c . 6 . n . 43 . Dn . Allessi . Coch . in Prax . Part . 2 . p . 113 . Dicimus

Itaque actionem mandati & qvod jussu plane non concurrere. Et quidem, si pater solum filium s. contrahere iussit, actio qvod jussu datur, qvz à Prætore necessariò introducenda erat, cum iure civili ex contractu mandatarii contra mandantem agi nequeat. l. 45. pr. § 5. π. Mandat. Quando autem extraneus seu creditor filii- familias cum hoc contrahere à patre iussus est, ille actionem mandati directam habet. l. 8. Cod. Mad. cessante prorsus actione qvod jussu, quippe qvz, uti dictum, subsidiaria est, cuius cum ordinario remedio nullus datur concursum. l. 16. π. de Minor.

§. 28.

Secundo in easu, qvò filius, citra consensum & jussum patris obligationem contraxit, ante omnia videndum, an illa ex conventione de rebus peculii validè inita; an vero aliunde nata sit. Priori in specie conditio & qualitas peculii spectanda venit. Nam si illud sit castrense, filius fam. aut minor est; qvò easu patrem, extraneo curatore non existente, hujus vices in suscipiendo actionibus sustinere, communior est Dd. sententia arg. l. ult. pr. in f. Cod. de Curat. Furius. Carpzov. l. 5. Reff. 84. n. 7. aut major; cujus pater invitus, si ipsi à filio administratio rerum castrensim coricredita non sit, ne quidem procuratorio nomine conveniri potest. l. 18. §. 4. π. de Castren. Pecul. et si forte, ignaro filio, dictas res administret. Cum enim tali in specie pater iure negotiorum gestoris censendus sit, bene ita observante post Harpprecht. ad §. 4. J. Qvib. mod. re contrab. oblig. n. 59. Frommann. in cit. disp. de Administrat. advent. legis. ib. 29. ille vero creditoribus domini negotiorum responderem non teneatur, propterea qvod is, qui aliquva suscepit, alia gerere necessariò non teneatur, l. 15. 16. π. & l. 20. Cod. de Neg. Gest. sanè patris, qui sui filii negotia gerit, conditio durior esse nequit; uti alias nec melior; ex gr. in eo, qvod pater, ut tertius quidam, filio in causa castrensi condemnato, non habeat beneficium appellationis, qvò forte ipse filius propter lapsum termini jam privatus est. Qyanquam enim alias dicto beneficio pater, filio condemnato, uti possit, l. 2. §. 2. π. Quando appell. hoc tamen in ipsa cit. §. 2. restringitur ad casum, qvo patris interesse concurrit. Illud vero cessat ratione peculii castren-

castrensis, in quo pater nihil juris habet. l. 3. Cod. de Castr. Pecal.
Eqvidem, si pater filium, qui aliquid ex peculio castrensi debere
perhibetur, defendere velit, à judice admittendus est, dummodo
cautio judicatum solvi praeteretur. l. 14. n. Qui satisd. cagant. d.
l. 18. §. 5. n. de Castrens. pecul. Qvod factò circa patrem idem juris
est, quod circa quemvis alium, qui reum ex mandato præsumpto
defendit. Atque hæc omnia, quæ hucusque diximus, etiam
quæ peculium adventitium irregularare procedunt. Neque enim,
si de illo contraxerit, & post conveniatur filius, ad fundandum
judicium, patris consensu opus habet, praesertim cum res dicti pe-
culii, invito patref. alienari possint. l. f. §. 5. vers. filius autem C. de
Bon. que liber. Non obst. d. l. f. in f. pr. Ibi enim sermo est de
speciali casu, quo filius, patre usufructum repudiante, plenam
delatæ hereditatis proprietatem habet. Tunc verò requiritur
consensus patris in signum repudiationis, ut securus sit, qui agit
cum filio, nec pater postea obtendat, se non repudiasse usufruc-
tum, prout loquitur Bachov. ad 7a npa/α p. 1096. conf. omnia
B. Frommann. l. e. ib. 56. Longè aliter fœse res habet, si filius
contraxerit de peculio adventitio regulari, cuius ratione pater acti-
ones contra illum competentes in loco administrationis arg. l. 1.
Cod. ibi de ratiocin. excipere debet, d. l. f. §. 3. Cod. de Bon. que
liber. ita qvidem ut hic multa specialius statuta providè reperiatur.
Nam (1) consensus filii, puberis nec longè absentis adhibendus
est, d. l. f. §. 3. cuius generalitatì contrariatur sententia Scipi-
on. Gentil. de Bon. Mauren. c. 20. ubi statuit, quod pater tan-
tummodo in casa hereditatis adventitia conventus, consensum li-
berorum requirere teneatur (2) pater immunis est à cautione ju-
dicatum solvi, arg. l. f. §. 3. C. de Administrat. Tutor. & potest
quaque (3) facere illa, quæ alias speciale mandatum requirunt
e. g. juramentum deferre. Debet tamen (4) sumptus litis ma-
gnos pariter ac parvos expendere, l. 1. C. de Bon. mat. d. l. f. §. 3. C.
de Bon. liber. nec illos repetit, nisi vel expensa supererent fructus è bo-
nis adventitiis perceptos, arg. d. l. f. §. 4. ibi: Si quidem tales reditus
sumi; vel filius, bona castrensi vel adventitia irregularia habeat,
quia tunc cessat ratio d. l. f. §. 3. propter quam pater sumptus
litis ferre tenetur. Quæ omnia pluribus exequitur Frommann.

in cit. disp. ib. 46. & ib. 54. seqq. Præterea observandum est, qvod pater de peculio adventitio *regulari* convenus, et si recte solvat, *arg. d. l. f. §. 4. & 5.* non tamen, uti in actione de peculio, possit deducere id, qvod sibi met ipsi à filio debetur, nisi hoc debitum in se sit privilegium. Qvod & verum est, si pater ex contractu, de peculio castrensi & quasi vel adventitio irregulari inito, conveniatur.

§. 29.

Qvando obligatio filii, aliunde, qvam ex conventione (vel etiam voto) de re peculari, profecta est, iterum melioris explicationis gratia distingvi potest, an illa tendat ad restitutionem rei, qvz in dominio creditoris mansit, e. g. *commodata*; an vero ad dandum e. g. ad solutionem pretii, pena &c.? Priori in specie contra patrem invitum agi neqvit; nisi vel 1. *estimatio* rei e. g. *commodata* petatur, vid. omnino supra *§. 3.* & *§. 18.* vel 2. filius sit minor. Hujus enim patrem curatoris loco esse, adeoque filium defendere teneri, jam supra diximus, *arg. l. f. in f. pr. Cod. de Curat. Furios.* Vid. *Mev. P. 3. D. 262.* Posteriori in specie, filius - familias vel habet peculium, vel non habet. Si habeat peculium, hoc est vel 1. castrense, vel 2. adventitium irregulare, vel 3. regulare, vel denique 4. profectitum. Primo & secundo in casu eadem obtinent qvæ in præced. *§. 28.* At vero tertio in calu non satis expeditum est, an pater as alienum filii è bonis adventitiis ordinariis e. g. maternis solvere debeat? Ubi quidem duo prænotanda sunt (α) nomine axis alieni h. l. venire id, qvod filius ex alia causa, qvam mutui, debet. Fallunt enim & falluntur ii, qui exceptionem SCti Macedon. existente peculio adventitio cessare scribunt ap. Lauterbach. in *Coll. th. pr. ad tit. π. de SCto Maced.* *ib. 10.* forte ex isto pra supposito, qvod dicta exceptio filio propter defectum bonorum propriorum competit. Sed hoc ita non esse satis intelligitur ex *l. 1. pr. π. de SCto Maced.* ubi dicitur, creditori nec post mortem patris, quo tempore filius, q. i ante illam pecuniam accepérat, bona sua certissimè & plenissimè dominij jure possidet, actionem dari debere. (β) loquinos de jure communi. Nam nonnullis in locis e. g. in vicina Borussia speciali lege cautum est, ne pater, nomine filii, ratione peculii

culii adventitii conveniatur. Verba legis Borussica germanica pa-
riter ac latina Vid. ap. Dn. Schilt. in *Prax. Jur. Rom.* Ex. 27.
§. 87. fol. 336. Et de jure Lubecensi non dubitatur, qvin cre-
ditores filiis. hunc recte cogant, ut portionem suam bonorum ma-
ternorum (Hæc enim nominato jure liberi perfectæ ætatis à pa-
tribus petere possunt *Jur. Lub.* P. 2. t. 2. art. 11.) exigant & sol-
vant, dummodo æs alienum aliunde, qvam ex mntuo pecunie
numerata contractum sit, qvoniām alias obstat exceptio SCti Ma-
cedon. qvam jus Lubecense non fustulit, ut pluribus docet Mev.
ad *J. L. d. art. 11.* in addit. ad n. 30. fol. 153. ubi simul addit,
creditoribus in subsidium permittendam esse actionem seu petitio-
nem, qvam filius habiturus est juxt. *Novell. 135.* Sed hanc No-
vell. in foris germanie non observari testatur post Bachov. & alios
novissime Struv. ad tit. π. de Cess. Bon. th. 32. ibique Müller.
in add. lit. δ. Qvod jam attinet propositam questionem secun-
dum jus commune decadendam, negat illam late Manzius in *De-
cis. Palatin.* qvæst. 80. & cum hoc B. Frommann. in cit. disq. de
Administrat. adventit. legitima th. 70. ii. th. 46. in fin. & th. 63.
Contra affirmat Brunus de Cessione bonor. qvæst. 4. n. 4. Sed liceat
nobis hac in re temperamentum aliquod adhibere. Putamus
enim, discrimen faciendum esse inter debita filiis. qvæ, si sint con-
tracta ex persona defuncti, cui ille succedit, omnino pater credi-
toribus & hæreditariis & testamentariis satisfacere tenetur, juxta
modum præscriptum in l. f. §. 4. C. de Bon. que liber. idqve satis
æquum est, cum hæreditas ad peculium regulare pertinens, con-
sensu patris adita intelligatur. Nec obstat id, qvod bis dicitur
in cit. l. f. §. 4. patrem licentiam habere. Hæc enim verba innu-
unt, non qvod solutio debitorum sit merx voluntatis paternæ, sed
potius, qvod prohibitio, qva patri bona dicti peculii alienare in-
terdicitur l. i. C. de Bon. matern. præsenti in casu, quo æs alien-
um filii alienationem requirit, cesset, ita quidem, ut nec inven-
ditione rerum immobilium decreto judicis opus sit. Vid. Fromm.
l.c. th. 38. ubi late defendit ad alienationem bonorum adventitiorum,
patri ipso jure permisam, judicis decretū non reqvir. Et dicta de patre
conveniendo procedunt qvæq; tunc, quando filius ex propria persona
obligatus est, anteqvām bona adventitia qvoad proprietatem acquisi-
vit.

vit. Cum enim usufructus omnium bonorum non intelligatur, nisi deducto ære alieno, l. s. n. de Ius & Usufr. &c. legat. Janet. l. 72. n. de Jur. dot. profecto pater, qui bonorum adventitorum usufructum habet, nullum allegare potest præjudicium, si creditor filiiam. id quod sibi debetur, è dictis bonis solvi aut detrahi postulet. Quam nostram sententiam evidenter satis, opinor, confirmat §. 3. Inst. de Acquisit. per Adrogat. Ubi expressè disponitur, quod adrogator, et si in bonis arrogati ex Constitutione Imperatoris Justiniani usufructum habeat, §. 2. Inst. d. t. (scil. si bona ratione militia non sicut acquisita). Alias enim illa per retro tractionem quandam iure peculii castrensis censentur, l. 4. §. 2. n. de Castrensi. pecul. Coll. Jur. Argent. ad d. t. ib. 3.) tamen nomine filii rectè conveniatur; Idem habetur in Specul. Svecic. cap. 130. tit. Wer Kind anspricht unter vierzehn Jahren ibi: Überzeuge man es der Gethat / und hat ihm der Vater Gut ausgeben / da soll man von püffen dem Kläger und dem Richter. Hat er ihm nicht Gut ausgegeben / der Vater soll von sein selbst Gut nichts püffen. Gewinnet der Sohn hernach eigen Gut / er soll dem Kläger und dem Richter püffen. Aliud verò dicendum videtur tunc, quando filius post actualēm bonorū acquisitionem, & usufructu paterno jam constituto, debitor factus est. Nam si diceremus, tali quoq[ue] in specie patrem creditoribus filii teneri, inde sequeretur, quod filius suo contractu vel delicto pro libitu usufructum paternum intervertere posset; id verò pugnat cum vulgari juris regula, vi cuius nemini per alterum iniqva conditio afferri debet. Quarto in casu, (quo nimurum filius, ad dandum obligatus, peculium prefecitum habet) ille aut delictum commisit, eujus nomine actio de peculio non datur, l. 58. n. de R. J. nisi in nonnullis casibus exceptis, quos notant Struv. in S. J. C. Ex. 20. ib. 70. Dd. ad cit. l. 58. aut contraxit; & tunc patrem dicta actione teneri satis constat, ex t. t. n. de Pecul. ibique Dd. Hoc quoq[ue] certum videtur, quod creditor, qui actione de peculio solidum consecutus non est, residuum ab ipso filio petere possit, arg. l. 30. §. 4. de Pecul. vid. tamen Bachov. ad Ja περὶ p. 1097. Nec dubitamus, quin dicta actio de peculio, eodem in loco, quo actio principalis con-

tra

tra filium competens, rectè instituatur; propterea quod cum dicta actione principali eadem habeat naturam. De concursu actionis de peculio cum ceteris cognatis actionibus Vid. §. 5. Inf.
Quod cum eo, qui in al. potest, ibique Dd.

§. 30.

Illud queritur, an hodieum actio de peculio, quatenus contra patrem datur, usum habeat? Quod communiter negant cum Schultz, in Synops. Institut. ad tit. Quod cum eo, qui in alien. potest. lit. C. Hahn, ad Wezembecc. tit. de Pecul. in f. Dn. Thomas. in disp. de Iusu juris patern. Romanor. secundum mores German. cap. 2. §. 7. in f. ubi duas affert rationes, quod scil. 1. moribus hodie-nis nullibi occurrat peculium profectitum; 2. filius quoad illa bona, quæ pater ipsi concessit, pro emancipato habeatur. At vero si nonnihil penitus rem considerare velimus, facile apparabit, neutram rationem universaliter veram esse. Nam ut taceamus ferè inter omnes Italiz. Jctos receptam sententiam, eo in casu, quo pater ex his vel illis causis bona sua inter liberos fa-milias partitur, eisque actu tradit, bona à patre concessa jure peculii profectitii censerri debere, Hondedæus Vol. 1. P. 4. cons. 59. n. 25. seqq. aliquo Dd. quos plena manu allegat Dn. Harpprecht. in disp. de Divisione honorum vivis adhuc parentibus facta ib. 21. certè negari vix potest, pecuniam lustricam, vulgo das Parens Geld ad peculium profectitum, nostris quoq; moribus interdum pertinere, puta, si quis donum insigne atq; inconsuetum dederit in-fanti, & hujus pater sit singularis donatoris amicus, vel de eodem bene meritus. Lauterbach. in Coll. ib. pr. ad iii. π. de Pecul. ib. 32. Vid. l. 49. π. de Pecul. Qvicquid enim ex amore erga patrem ad liberos pervenit, è re patris pervenisse merito intelli-gitur, secus, si citra respectum patris ex solo erga infantem af-fectu ejusmodi munera dantur, de quo casu accipere liceat Mev. P. 9. D. 63. Quod vero dicitur, filium quoad bona, quæ pater ipsi concessit, hodie pro emancipato haberi, id, opinor, tantummodo procedit in filiis, mercatoris. Alias enim otiosa esset quaesi-tio, hodieum acriter agitari solita, an filius. lucrum ex re e. g. pecunia paterna redactum sibi metipsi, an vero patri acquirat? de quo novissime latè agit Dn. Harpprecht.

in



in disp. ac Oper. liberorum parentib. prestand. ib. 29. seqq. Et repeti quoque hic debent ea, quae jam supra §. 2. monuimus, per divisionem vel cessionem bonorum paternorum, vivo adhuc patre factam, patriam potestatem non tolli. Quae cum ita sint, merito subsistimus, annon hodiecum actio de peculio e. g. propter pecuniam iusticam, quae saepius hanc exigua quantitatis est, in judicium utiliter ducatur, ? Qyanquam hoc praeclaram opus non sit, cum dissentientes concedant, quod ipse filius, cui pater rem aliquam concessit, conveniri queat. conf. Dn. Lyncker. in *Ana-*
lect. ad Struv. tit. de Pecul.

§. 31.

Si filius, ad dandum obligatus, nullum prorsus peculium habeat (vid. §. praecl. in pr.) pater ejus nomine, sive ex contractu sive ex delicto debtor existat, invitus regulariter conveniri nequit. *I. 1. C. No fil. pro patr.* Cui consequens est, id, quod pater, rationibus domesticis motus, pro filio, e. g. ex delicto vel principaliter vel ratione expensarum litis condemnato, solvit, post mortem patris collationi subjaceret. *Struv. in S. J. C. ad tit. n. de Collat. honor. ib. 28.* ubi ita à facultate juridica Jenensis responsum esse testatur. Evidem sunt, qui statuant, patrem pro filio contrahente semper fictione juris fidejubere censi. Sed hoc falsum esse, per *I. 5. §. ult. n. de Liberat. legat. I. 19. §. 2. n. de Inst. act.* recte docet Hering. de *Fidejuss. cap. 7. n. 379. seqq.* Et quanquam patrem & filium, semper simul obligari videri posset, inde quod una eadem persona censeantur: haec tamen ficta unitas, quae in utilitatem patris inducta fuit, in ejusdem onus detorveri nequit. Nec audiendi sunt ii, qui patrem quoad legitimam creditoribus filii teneri putant. Vivis enim parentibus nulla debetur legitima. *I. 6. Cod. de Inoff. Test. Carpzov. P. 3. C. 12. Def. 20. n. 2. Dn. Harppr. in cit. disp. de Divisione honor. ib. 18. vid. omnino supr. §. 24.*

§. 32.

Dixi autem in pr. §. praecl. (1) invitus, cum dubitandum non sit, quin pater, si velit, suum filium, debitorem defendere possit, praesita scil. cautione judicatum solvi, *I. 14. n. Qui satisf. cog. I. 18. §. 5. n. de Castraus. pecul.* Unde hoc loco haut inconve-

convenienter tangi potest qvæstio: An pater, præsertim vero
paterfamil. ad allegandam & probandam innocentiam absens
filii, capitus accusati, admitti debeat, saltem eum in finem, ut inter-
tim edictalis citatio suspendatur, donec de hisce probationibus di-
dicitis plenè cognitum fuerit. Affirmativam sententiam, Arumæ
Cothmanni, Carpzovii, aliorumque, quos hic citat in Pr. Crim. qv.
105. n. 81. Hilliger in Donell. lib. 18. c. 10. lit. o. in not. quam
etiam seqvitur juris religiosissimus Dn. Lauterbach. in Colleg. theo-
rico-præst. ad n. tit. de procurat. §. 51. communem & in præsi
receptam testatur evidem Dn. Tabor de confrontat. c. 4. in qua
tamen acerbè confutanda ille ipse admodum prolixus est, & valde
operosus, ibid. & capp. seqq. Redit tota ejus disputatio ad duo
summa capita; quorum alterum absolvitur commentatore re-
gulae in l. pen. n. de publ. jud. quod ad crimen judicij publici perse-
quendum frustra procurator interveniat, multoq; magis ad defen-
dendum: quæ regula cum negativa si & prohibitia, nulli do-
ctorum, nec ulli Jctorum aut Collegiorum vel judicium cætui per-
missum esse ait, laxius eandem interpretari; alterum vero
redarguit communem sententiam, quasijure publico detrahant,
reddatq; judicium elusorium. Veram neutra nobis ratio
tanti videtur, ut communis & probata usu sententia tanto-
pere possit ac debeat reprehendi. Non prima, si respiciamus
ad præcipuam regulæ istius rationem, quæ erat, quod accu-
sator, facta in crimen subscriptione, pari cum Reo fortuna utere-
tur, & utrumque ex vinculis causam dicere ac defendere oportet.
l. ult. C. de Accusat. Igitur, reo absente, nec subscriptio in
crimen, nec accusatio poterat procedere. Ex quo autem illa
subscriptionis & accusationis ratio pridem ab usu fori nostri reces-
sit, & hodie sèpius per viam inquisitionis, quam accusationis, ju-
dicia publica exercentur; nihil obstat, quò minus laxandi inter-
pretandi regulam potestas juris prudentibus judicibusq; con-
cedatur: pro qvibus porro facit l. 3. C. de Accusat. secundum
qvam publica judicia permittunt, reos capitalium criminum, ab-
sentes eisam, per procuratorem defendi. Qvod enim permitta hic
defensio absentis, ex l. pen. n. de public. judic. restringenda dicatur

ad allegandas absentia causas, atque negari poterit atque affirmari,
quia ad conciliandam utramque legem tali restrictione haut opus
est. Quid enim? Si dicamus d. l. 3. C. de accusat, pertinere ad
casum, quo praes provinciae ex officio, citra solennia accusa-
tionum crimina persequitur l. 7. C. Accusat, aut quoties accusanti
inscriptionis necessitas remittitur. l. 12. C. de his qui accusar. non
poss. sicut hodie semper contingit. Nec secunda Dn. Taboris
ratio sententiam ferit, siquidem pater, defensurus innocentiam filii
absentis, validas afferat innocentia causas, nominetq; statim ido-
neos testes, per quos probatis innocentia allegationibus certum est,
filium absolvendum esse, ita ut nulla subesse possit suspicio, pa-
trem id tantum agere, ut aliquod obnubilanda veritati glaucoma
objiciat, aut nescio quid remora machinetur aut muginetur, ut
loquitur Dn. Tabor. d. 6. 4. n. 14. Accedit, quod si pater inno-
centiam filii absentis probatum non dederit, nihilominus deinde
procedi possit ad citationem Edictalem, & ea, quae hanc in ab-
sentem contumacem sequuntur. Nec enim aliter accipienda
esse communem sententiam arbitramur. Atque hoc vel ipsa
Dni. Taboris confutatio tandem collimat, si recte conjicimus ex
Responso, quod pro se afferit dicit. tr. cap. 7. Respondent enim ibi-
dem Jcti Giessenses, quod judex, quando videt, defensiones tan-
tum peti cavillandi ac negotii differendi causa, possit eandem non
permittere; quibus ibidem subiungitur conclusio his disertis ver-
bis: Wann den auch auf die andere Edictal citation NB. keine
bessere defension erscheinen sollte / würde auch mit der dritten Cita-
tion, und als denn mit der achte zuversfahren sein. Ergo, si me-
lior afferatur defensio, audienda omnino erit, & de ea cognoscen-
dum. Quod ipso communis sententia, puto, relinqvit salva, &
tamdiu merito detenditur, donec pro Tabore dissidente novi
quid afferatur. Dixi (2) regulariter. Sunt enim nonnulli
casus, in quibus pater, etiam in solidum, nomine filii. nullum
peculium habentis, recte convenit. Et quidem primo, si
pater pro filio fidejussit l. 8. in f. Cod. Quod cum eo, qui in al.
potest. Vid Hering. l. c. n. 369. seqq. Nec potest pater se tueri
beneficio excusionis, quia filius, de quo jam loquimur, nulla
bona habet. Atqui debitore principali solvere non valente,
dicum

dictum beneficium cessat. Secundò, si filius. id, qvod à suo creditore accepit, in rem patris verterit e. g. solvendo creditoribus paternis. Qvò factò comperit directa actio de in rem verso, cuius naturam ac indolem exponunt Dd. ad iiii. π. de in rem verso. Qværi quoque solet, annon dicta actio de in rem verso, propter jam proditam actionem negotionem gestorum, præter necessitatem à Prætore introducta sit, & annon inter has duas actiones quædam realis intercedat differentia? Dn. Schilt. in Prax. Jur. Roman. Ex. 27. §. 93. utrumque negat. Nobis quidem videtur, posterioris affirmandum esse, prius verò negandum, ex alia tamen & propiori ratione, quām ea, qvæ affertur à Dn. Schilt. l. c. Nam actio negotiorum gestorum non potest competere nisi illi, qui in propria persona & immediate gessit negotium ejus, contra quem dicta actione vult experiri. Jam verò, si filius. pecuniam à suo creditore acceptam, præsertim hòc inscio, in utilitatem patris convertat, ipse filius, non verò hujus creditor, negotium patris gerit. Qvò fit, ut ad actionem negotiorum gestorum unus actus & duæ personæ sufficiant; sed ad actionem de in rem verso duo actus & tres personæ teqvirantur. Conf. Titius in Observat. ratiocinanti ad Schütz. Compend. Jur. ad iiii. π. Qvod juss. Obs. 443. §. 5. Nec obscurum est, nominatas actiones inspecto effèctu differre. Nam actio negotiorum gestorum est semper bona fidei. §. 28. Infl. de Abt. at verò actio de in rem verso, pro diversitate actionis principalis, vel bona fidei vel str. jur. Vid. supr. §. 27. Tertiò, quando filius. tacente & non contradicente patre decurio factus est. Tunc enim, qvicquid filius in rep. gessit, pater ut fidejussor præstabit l. 2. π. ad Municipal. l. 1. C. Qvod cum eo, qui in al. pot. l. 1. Cod. de Filiis. Et quemadmodum pater pro his teneatur. Qvas leges Dd. extendunt ad debitum contractum ex qvolibet officio publico, qyod filius non dissentiente patre suscepit. Cum enim hic illius mores quotidie videat, & experiatur; adeoq; fraudem, à filio in officio publico commissam, prævidisse præsumatur, meritò ob concurrentem propriam culpam & negligentiam, qvā, ne filio officium deferatur, Remp. monere omisit, damnum, qvod hac sensit, reparare tenetur, ita tamen, ut, si filius propria bona habeat, beneficio excusonis gaudeat l. 17. §. 2. π. ad municipal.

Dummodo filius extra expressum patris iussum vel mandatum officium ingressus sit. Alias enim dictum beneficium cessat arg. l. 1. §. 5. n. Qvod iuss. post Bartol. Gviliel. Onciac. quest. Acad. 15. n. 3. seqq. Quartò, si filius, ex decreto judicis tutelam suscepit l. 7. n. de Tuci. d. l. 1. C. Qvod cum eo, qui in al. pot. Si vero filius, tutor testamentarius sit, pater, et si, hoc sciente & consentiente, ille tutelam administravit, non aliter, quam de peculio vel de in rem verso, nisi periculum in se suscepit, convenit potest. l. 21. n. d. Admin. & peric. Tut. Cujus differentia ratio non ineptè defumitur ex l. 15. §. f. n. de Excus. Tut. in qua habetur, quod pater nomine filii, a Prætore in tutorem creati, satis dare, &, si hoc absque justa causa recusat, ipse ad tutelæ administrationem cogi debeat. Onciac. l. c. quest. 71. Accedit autoritatem magistratus, tutelam referentis, omnibus modis conservandam esse; id vero fieri nequit, nisi pater loco sui filii, tutoris, qui nihil in bonis habet, pupillum indemnum præstet. Donell. ad tit. C. Qvod cum eo, qui in al. pot. n. 52. Quintò propter statutum, quod patrem pro filio obligat. Et si vero tale statutum à nonnullis oppugnetur, verius tamen videtur, illud subsistere, omniqve iniqvitate carere, quatenus de præstatione pecuniaria agitur. Præsupponendum enim est, quod ejusmodi statutum, juxta communem pietatis & affectionis paternæ sensum, præsumat, patrem nomine filii, solvere male, quam pati, ut ille à suis creditoribus & fisco injuriam patiatur. Nec hac præsumptione ceteris liberis iniqva conditio affertur, siquidem filius, id, quod ipsius causa pater solvit, hoc mortuo conferre teneatur supr. §. 31. Si autem filius, ad evitandam collationem abstinere velit à paterna hereditate, & solutio à patre facta legitimam fratrum lœdat, arbitri familie eriscundæ officio congruit, ut illam præstet incolument arg. l. 2. C. de Inoff. don. Denique, si filius, captus sit, patrem ad lytrum solvendum obligari non male colligitur ex Nœv. 115. c. 4. §. 7. junct. l. 17. C. de Postlim. revers. Alia est ratio filii, ob delictum incarcerated, cuius nomine patrem, ut multam solvat, cogi non posse, communior est Dd. sententia. Valsac. in Prax. parv. & Collat. cap. 21. n. 1. & 2. Atque hi erunt casus, si non omnes, præcipui tamen, in quibus patens pro filio, nulla

nulla bona habente, contra regulam superius adductam; conveniri potest. Nec prius audiendi sunt, qui alias exceptiones adducunt, nisi has legum auctoritate sufficienter probaverint, cum semper illis vehementer obsteret, quod grave non solum sit legibus, verum etiam aequitati naturali contrarium, pro alienis debitis alios molestari l. unic. C. Ut null. ex vicin.

§. 33.

Reliquum est, ut dispiciamus, an & quantum ipse filius famili. ex sua obligatione, vel proprio vel patris nomine contracta, conveniri ac condemnari possit? Nam nonnullis in casibus filius. ex facto sui patris, etiam de jure communii, obligatur, quibus casibus supra in §. 8. & 9. recensitatis addi debet ille, quando pater debitor est argentarius, juxta dispositionem l. ult. C. de Pign. Novell. 136. c. 2. Tractari quoque specialius solet, an creditores paterni in uestes, filios. a patre ad usum quotidianum datas, executionem petere possint? Qvod negativè decidit Anton Monach. de Execu. in vest. cap. 14. per rot. quoniam illæ uestes non sunt patris sed ipsius filii l. 19. n. de in rem vers. quæ tamen lex loquitur de ueste filii. quam ab extra-neo emit. Vid. etiam l. 25. n. de Pecul. Sed ut respondeamus ad ipsam questionem in pr. hujus §. propositam, summa hic & principialis distincio est, an tempore instituenda actionis patria potestas sit soluta nec ne? Priori in specie filiusfamilias gaudet beneficio, competentia, vi cuius filius. patria potestate, maxime per mortem patris liberatus, ultra id, quod facere potest, non tenetur l. 2. pr. n. & l. 2. Cod. Qvod cum eo, qui in alien. potestat. Cujus rationem politicam esse optimè advertit Dn. Schilter. in Prax. Jur. Rom. Ex ad n. 27. §. 54. Prudentia enim civilis omnino exigit, ut cura habeatur novelli patrisfamilias, atque hic in constituenda re familiari juvetur, cum ex illius fundatione totius felicitatis civilis ratio dependeat. Sciendum autem est, ad id, ut memoratum beneficium competentia locum habeat, requiri (1) causæ cognitionem, in qua maxime temporis ratio haberi debet, ut, si quidem ex continenti cum filio agatur, detur actio in id, quod facere potest; Sin vero post multos annos, non debeat indulgeri, juxta monitum Ulpiani in l. 4. §. 4. n. Qvod cum

G 3

cum



cum eo, qui in al. pot. (2) ut obligatio veniat ex contra-
etu ipsius filii durante patria potestate inito d. l. 2. pr.
π. d. t. Nam quoad contractus patris beneficium competen-
tia cessat, quia ex illis filius ut heres, licet ex minimâ parte, si be-
neficio inventarii usus non est, in solidum tenetur. Novell. 1.
c. 2. §. 2. Unde & nos Germani dicimus. Ver einen Heller erbit
muss einen Thaler bezahlen. Quam parciām eruditę, ut solet
explicat Dn. Hertius de Parcēm. Jur. German. L. 1. Parcēm. 78.
(3) ut filius vel nihil plane consecutus sit ex hæreditate
paterna, e. g. si ex hæreditate sit aut eadem abstinuerit, d.
l. 2. pr. quod cum eo, qui in al. pot. vel tantummodo modicum, aut
rem minimam d. l. 2. §. 1. l. 7. in fin. π. d. t. Evidem Brunnen.
cum allegatis ad l. 2. Cod. Quod cum eo, qui in al. potest. per rem mini-
mam intelligit legitimam. Sed merito temperat hanc sententiam Dn.
Schilter. l. c. §. 57. quod cesse beneficium competentia, si legitima
tanta sit, ut & ad solutionē toti⁹ debiti & vitæ sustentationem sufficiat.
(4) Ut facto suo illud beneficium non amiserit filius.
Amittit autem, quando vel eidem in specie renuntiatum est,
arg. l. 41. π. de minor. l. pen. C. de Paſt. vel dolus in contractu
commisus est. arg. l. 23. §. 1. π. de Re Jnd. e. g. si filius se pa-
trem. mentitus sit l. 4. §. 1. π. d. t. Schütz. in Compend. Lauterb.
ad iii. π. Quod cum eo, qui in al. pot. Si vero filius proprio fa-
beneficio competentia se non indignum reddiderit, & coetera re-
quisita, superius enumerata, concurrant, dictum beneficium adhuc
hodie locuta habet, qvicqvid dicat Gr̄enwegen de LL. Abrog. ad
l. 2. Cod. Quod cum eo, qui al. pot. ubi duo presupponit minime
ferenda. Quemadmodum enim gratis afferitur, effectus patris po-
testatis, qui non probant abrogati, hodie cessare, ita quoque ex
iis, quae ex D. Schilter. supra notavimus, evidenter satis appareat,
quod beneficium competentia filio competens, ejusque ratio ade-
quata est patria potestate deduci nequeat. Illud vero non immixto
in quæstionem deducitur, an filius, sui juris factus, s̄epe nominato
beneficio uti possit, si habeat bona, tempore patris potestatis, ac-
quisita? Quod affirmandum, quia & tunc ratio nostri beneficij
quadrat. Schilt. l. c. §. 58. inf. De concursu & prælatione creditorum
filii vid. l. 3. Quod cum eo, ibid. Br. & Brus.

§. 57.

Posteriori in specie, puta, si filius. *conveniendus* nondum liberatus sit patria potestate, ille aut habet peculum, aut non habet. Si non habeat, *actio competens* est inanis. Vid. *supr. §. 24.* Utile tamen, ut filius condemnetur, propterea qvod *actio judicati*, qvæ lata sententia datur, singulares & creditori proficios effectus pariat, qualis est e. g. qvod contra patrem ex delicto filii. si postea à patre peculum conseqvatur, peculio tenus agi queat *l. 3. §. 11. n. de Pe-*
cul. Si habeat peculum, hoc est vel 1. castrense, vel 2. adventitium irregulare, vel 3. regulare, vel 4. profectitum. Primo in casu ipse filius. major scilicet, (*vnd. supr. §. 20.*) rectè conventur, ita tamen, ut, tanquam qvivis alius miles, beneficium competentia habeat *l. 6.* *l. 18. n. de Re Judic.* quemadmodum è contra creditores castrenses habent beneficium separationis, vi cuius creditores pagani, qui cum filios, ante militiam contraxerunt, in concursu postponuntur creditoribus castrensis *l. 1. § 9. n. de Separ.* Secundo in casu contra ipsum filium, qui major est, agi posse jam supra diximus *§. 25.* Cui adjiciendū est, beneficium competentia præsenti in casu non dari, cum illud filios. flante adhuc patria potestate, non qvà tali, sed ut militi indultum sit. Tertio in casu intuitu ipsius peculii adventitii pater conveniendus est. Vid. *supr. §. 25. §. 26.* idē obtinet qvarto in casu, siqvidem ipse filius. de peculio profectio inutiliter solvat, adeo, ut, si pater solutionem ratihabere nolit, nummos adhuc existantes vindicare, consumptos autem condicere valeat *l. 14. n. de R. C. l. 9. §. 1. n. de SCto Maced.* Vid. Fromm. *de SCto Maced. th. 2.* ubi cit. II. hanc in rem latè conciliat. Dissent. Matth. Brun. *de bess. bonor. queſt. 4. n. 4.* Gvil. Onciac. *queſt. Acad. 66. n. 1.* qui simul testatur, in Gallia filium. etiam in-vito patre, peculium profectitum creditoribus cedere posse, imò, filii bonis propter ejusdem delictum publicatis, dictum qvoqve peculium fisco adjudicari. Qvæ omnia à dispositione Juris Romanialiena sunt. Nam cum filius, uti dictum, de peculio profectio solvere prohibeat, nec illud, invito patret, cedere poterit. Diss. novissimè Struv. *ad tit. n. de Cess. bonor. th. 30.* per *l. 7. C. Qui bon. ceder. poss.* Ubi tamen per peculium, qvod filii. volente patre possident, non pro-

716

profectum, sed adventitium regulare intelligi putamus propter cit.
l. 14. § 1. g. 1. Hoc certum est, peculium profectum filio, ex
delicto capitali condemnato, confiscari neutiquam posse text. express.
l. 3. C. de Bon. Proscript. Qvanquam enim pater, sicut ex vero con-
tractu filii ita ex sententia, qua hic condemnatus est, peculio tenus te-
neatur l. 3. § 11. n. de Pecul. hoc tamen quoq; fiscum non procedit per
d. l. 3. Ex qva simul intelligimus, ne quidem peculium castrense (&
per consequens nec adventitium) dicto in casu patri à fisco jure au-
terri. Qvod & hodie observandum esse monet Brunn. ad l. 1. C. de
Bon. Proscript. n. 7. Conf. omnino B. Frommann. de Administrat.
Advent. legit. th. 69. qvi cum allegatis testatur, hanc sententiam in
praxi receptam esse.

§. 35.

De foro filii. competenti facile cuvis constat. Sicut enim
paterfamilias ita qvoque filius. debitor conveniri potest in loco, non
solum contractus, delicti, deprehensionis, sed etiam domicilii. Hoc
vero vel paternum, (qvod est ille locus, in quo pater habitat, adeoq;
differtum à loco originis l. 6. § 1. n. ad Municip. tum à domicilio ori-
ginis. Vid. Dn. Thomaf. Diff. Lips. D. 2. c. I. §. 43. seqq.) vel propriū
idq; vel necessariū e.g. si filius miles sit l. 23. l. f. n. ad Municip. vel voluntariorum.
Potest enim filius, pubes domicilium, à paterno diversum,
sibi constituere l. 3. 4. n. ad Municipal. patre licet inscio vel invito,
eō scil. in casu, si utilitas filii domicilii constitutionem exigat. Ex iusta
enim causa filius, alibi qvā apud patrem morari potest l. 1. §. 3.
l. 3. §. 5. n. de Liber. Exhib. Sub qvo temperamento cessat dubium,
qvod movet Lauterb. de Domicil. c. 6. §. 40. Nec porro obstat,
qvod uxor aliud, qvām domicilium mariti, habere nequeat. Cujus
ratio est, ne finis matrimonii impediatur. Qvā ratio ad filium non
pertinet Thomaf l. c. §. 37. Hodie, cū filius per constitutionē domicilii,
ceu speciem separationis ab cōconomia paterna, sui juris efficiatur,
vix est ut illa, patre invito, permissa censeatur. Ceterum, qvām diu
filius, proprium domicilium non habet, in loco domicilii paterni
recte omnino convenitur. Carpz. Dec. 1. Mav. P. 3. D. 71. P. 5. D. 162.
etsi ibidem non reperiatur, uti contra Carpz. statuit Thomas,

l. 6. §. 100. per generalitatem l. 29. n. ad Municip.

SOLI DEO GLORIA.

Greifswald, Di[es]y 1702/05



TA → 0C

mw 1 + 77 Stück verknüpft sind
f




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-124431-p0070-5

DFG

	8
Centimetres	7
1	6
2	5
3	4
4	3
5	2
6	1
Inches	1
1	2
2	3
3	4
4	5
5	6
6	7
7	8
8	9
9	10
10	11
11	12
12	13
13	14
14	15
15	16
16	17
17	18
18	19

Farbkarte #13



B.I.G.

Pri. 31. num. 2.

Q. D. B. V.

1704, 1 19

DISPUTATIO JURIDICA

de

FILIO - FAMILIAS DEBITORE,

SIVE

EJUSDEM OBLIGATIONE IN UNIVERSUM,

Quam

Permissu inclytæ Facultatis Juridicæ

in Auditorio minori,

d. 11. Decembr.

publicè ac solenniter defendent

PRÆSES

L. GEORG. ADOLPH. CAROC,

&

RESPONDENS

PHILIPP. MICH. WESCHIUS,

Berg. Rug.

Anno M DCC IV.

GRYPHISWALDIE,

Literis DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,

Reg. Acad. Typogr.

